

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-11609/fragment/page=00000002



3440

Wu NJ 6/6

Adm 194

D2808

C5859

1.2

cat

3 Thlr 25 Sgr

2 Schrift

a/R

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-11609/fragment/page=00000004

MVSEVM
CVFICVM BORGIANVM
VELITRIS

ILLVSTRAVIT

JACOBVS GEORGIVS CHRISTIANVS ADLER

ALTONA



Musei Borgiani

ROMAE

APVD ANTONIVM PVLGONIVM

MDCCLXXXII

PRAESIDVM FACVLTATE

COLLECTIO NOVA

NVMORVM CVFICORVM

SEV ARABICORVM VETERVM,

CXVI CONTINENS NVMOS

PLEROSQVE INEDITOS

E MVSEIS BORGIANO ET ADLERIANO.

DIGESTA ET EXPLICATA

A

IACOBO GEORGIO CHRISTIANO ADLER,

TH. D. ET PROF.

IN AVLA REGIA ET AD AEDEM FRIDERICIANAM VERBI DIVINI INTERPRETE, COLEGII DANICI DE CVRSV EVANGELII PROMOVENDO QVINQVEVIRO, ACADEMIARVM REG. SCIENTIARVM NIDROSIENSIS ET NEAPOLITANAE, SOCIETATIS ANTIQ. LONDINENSIS, VOLSCORVM VELITRIS ET ARCADVM ROMAE SODALI.

HAFNIAE MDCCXCII.

EXCVDEBAT FRIDERICVS WILHELMVS THIELE.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-11609/fragment/page=00000007

COLLECTIO NOVA

NVMORVM CVFICORVM

SEV ARABICORVM VETERVM,

CXVI CONTINENS NVMOS

PLEROSQVE INEDITOS

E MVSEIS BORGIANO ET ADLERIANO.

DIGESTA ET EXPLICATA

A

IACOBO GEORGIO CHRISTIANO ADLER,

TH. D. ET PROF.

IN AVLA REGIA ET AD ARDEM FRIDERICIANAM VERBI DIVINI INTERPRETE, COLLEGII PARISIENSIS DE CVRSV EVANGELII PROMOVENDO CVRATORE, ACADEMIARVM REG. SCIENTIARVM HAFNIENSIS ET NEAPOLITANAE, SOCIETATIS ANTIQ. COPENHAGENSIS, VOLSCORVM VELITRIS ET ARCA-DVM ROMAE SODALI.

HAFNIAE MDCCXCII.

EXCVDEBAT FRIDERICVS WILHELMVS THIELE.

MVSEVM
CVFICVM BORGIANVM
VELITRIS.

PARS II.

ILLVSTRAVIT

IACOBVS GEORGIVS CHRISTIANVS ADLER,

TH. DOCTOR ET PROF. HAFNIENSIS.

INSERTI SVNT NVMI CVFICI EDITORIS.

HAFNIAE

EXCVDEBAT FRIDERICVS WILHELMVS THIELE

MDCCXCII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-11609/fragment/page=00000009

VIRO

SVMME VENERABILI ET EMINENTISSIMO

STEPHANO CARDINALI BORGIAE

Editor.

Decem abhinc annis, Cardinalis eminentiſſime, eximii Tui Muſei Cufici Veliterni primitias, Tuis auſpiciis, Tuaque benevolentia adiutus, Romae depromere Tibique offerre mihi contigit. Me quoque manebat, longe licet terra marique a Tua conſuetudine et ab uſu Muſei Tui ſeiunctum, quos deinceps comparaveras numos arabicos illuſtrare, meamque qualemcunque interpretationem Tecum et cum orbe erudito communicare. Miſeras enim mihi pro Tuo in me favore optimorum numorum gemmarumque exempla ſulphuri accurate impreſſa, quae horis ſubſecivis magna cum voluptate diſponere et ex hiſtoria orientali illuſtrare tentabam. Inde natum eſt hoc opuſculum, Muſei Cufici, Romae editi, ſupplementum, quod numero et praeſtantia numorum, et forte diligentia quoque editoris prius illud opus ſuperare etiam videtur. Scilicet divinitus ratum et conſtitutum erat, ut Tua auctoritate ſuſceptum opus, non niſi Tuis auſpiciis conſummaretur.

Accipe igitur, Cardinalis eminentissime, quae a Te profecta sunt, Tibique nunc cum gratae meae mentis significatione et acclamatione eruditorum redduntur. Quae si litteris arabicis aliquid emolumenti praestant, Tibi in primis ea deberi noscat grata posteritas, cui multa iam debent litterae, litterarumque cultores. Tu vero has disciplinas Tuo patrocinio promovere et augere perge. Vale, ordinis purpuratorum decus, meque Tibi commendatum habe.

Scripsi Hafniae Idibus Septembris MDCCXCII.

PRO-

PROLVSIO

DE INITIIS ET PROGRESSV REI NVMARIAE APVD ARABES.

Originem numorum Arabicorum iam in Muſeo Cufico Borgiano, Romae edito, tetigimus, ubi pecuniae totiusque rei numariae apud Arabes primordia, Elmacinum *a*) ſecuti, retulimus ad annum fugae LXXVI, aerae vulgaris DCXCV. Egregie quoque viri eruditione praeclari, Tychſenius Gottingenſis, et Aſſemanius Patavienſis Profeſſor, poſt illas noſtras in numos Cuficos curas eandem rem pertractarunt. Cum tamen alii viri cl. de fide Elmacini dubitare, et in relationem Macrizii, recentioris auctoris, qui initias monetae Arabicae ab anno inde XVIII, Chr. DCXXXIX, repetit *b*), propenſiores eſſe animadvertimus: alia nonnulla teſtimonia, e libris manu ſcriptis Arabicis bibliothecae Regiae Hafnienſis depromta, hoc loco proferemus, quae omnia cum Elmacino in eo conſentiunt, Abd-al-malekum primum numos Arabicos ſuo nomine ſignaſſe.

Soiuti in hiſtoria Chalifarum, cuius libri pleniorem titulum infra dabimus, in vita Abd-al-maleki, Chalifae, haec habet, quae

a) Locum Elmacini de origine monetae Arabicae egregie illuſtrarunt Eichhorn in diſſ. de rei numariae apud Arabes initiis, Ienae 1776. et Reiskius in epiſtolis de numis arabicis, inſertis repertorio biblico et orientali, germanice edito, P. IX. p. 217.

b) Muſeum Cuf. Borgian. Rom. p. 93 ſeqq. Ibi pag. 94 lin. 7 legendum *Abbas filius Alfadli*, et delenda adnotatio III.

quae ad rem noſtram faciunt: وقال يحيي بن بكير سمعت مالكا يقول اول من ضرب الدنانير عبد الملك وكتب عليها القران ، وقال مصعب كتب عبد الملك علي الدنانير قل هو الله احد وفي الوجه الاخر لا اله الا الله وطوقه بطوق فضة وضرب فيه ضرب بمدينة كذا وكتب خارج الطوق محمد رسول الله ارسله الله بالهدي ودين الحق ، وفي الاوايل العسكري يسنده كان عبد الملك اول من كتب في صدر الطوامير قل هو الله احد وذكر النبي صلي الله عليه وسلم مع التاريخ فكتب ملك الروم انكم قد احدثتم في طوامیركم شيأً من ذكر نبيكم فاتركوه والا اتاكم من دنانيرنا نكر ما تكرهون فعظم ذلك علي عبد الملك فارسل الي خالد بن يزيد بن معاوية فشاور فقال حرّم دنانيرهم واضرب للناس سككا فيها ذكر الله وذكر رسوله ولا تعفهم مما يكرهون في الطوامير فضرب الدنانير للناس سنة خمس وسبعين * h. e. „Narrat Iahia filius Bokiari, ſe ex Maleco audiviſſe, Abd-al-Malekum primum omnium denarios cudi curaſſe, iisque verba aliqua Corani inſcripſiſſe. Horum titulos plenius refert et recenſet Moſabus his verbis: Inſcripſit Abd-al-malek drachmis verba: *Deus eſt unus*, et ab altera parte: *non eſt Deus, niſi unus.* In margine, qui numum ambit, ſcriptum erat: *Cuſa in urbe tali:* et in altero margine: *Muhammed eſt Dei legatus, quem Deus cum vera et recta religione miſit.* c) In initiis Aſca-

c) Obſervandum, hoc loco prima tantummodo verba ſententiarum illarum laudari, quae in numis leguntur. Sed in his titulis recenſendis longe a vero aberrat auctor Arabs. Refert nimirum titulos numorum Abbaſidicorum, et neque hos accurate: primis et antiquiſſimis Arabum numis, ſub Ommiadis excuſis, longe alia inſcripta fuiſſe, ex quacunque numorum Arabicorum collectione patet. Vide, quam ſint ignari et inſcii rerum ſuarum Arabes! *Pertinet huc Annot. ad pag. XV. lin. 8–16.*

Aſcarenſis *d*) origo horum numorum narratur. Abd-al-malek nimirum in principio epiſtolarum ſcribere coeperat: *Confitere, Deum eſſe unicum!* addita inſuper laudatione prophetae, cui propitius et benignus ſit Deus! atque aera (Muhammedanica ſcilicet). Qua de re offenſus Imperator Romanus, Chalifam ab hac novatione abſtinere iubebat; quod ſi nollet, eum mox de numis ſuis (quibus ad hunc diem utebantur Arabes) res novas quoque, quae deteſtabiles ipſi viderentur, accepturum minabatur. Grave hoc accidit Abd-al-maleko. Sed arceſſito Chaledo, Iezidi filio, filii Moaviae, et collatis cum eo conſiliis, vetuit illorum denarios, aliosque numos ſignare iuſſit, quibus inſcripta ſint nomina Dei eiusque prophetae, ut commodi inde nihil caperent, quod litteras hoc modo inſcriptas aſpernarentur. Denarii igitur Arabici cuſi fuerunt a. LXXV. Chr. DCXCIV. „ *e*)

Paucis eandem rem attingit *Abu'l-Abbas Ahmed fil. Ioſephi, Damaſcenus*, in hiſtoria univerſali *f*), in vita Abd-al-maleki, ita ſcribens: وهو اول من تسمي بعبد الملك في الاسلام واول من ضرب الدنانير والدراهم بسكة الاسلام كتب عليها القران وكتب فيه بمدينة كذا والتاريخ وكان علي الدنانير قبل ذلك بالرومية وعلي الدراهم نقش بالفارسية „ Hic Chalifa primus fuit, qui poſt natum Iſlamiſmum nomen Abd-al-maleki geſſit; primus quoque

d) Aſcarenſis ſine dubio eſt ille Muhammed fil. Abu'l-Sorur, Aſcara oriundus, cuius aliud opus hiſtoricum laudat Herbelotus, voce Aſkeri.
Potius: Abu-Helal Huſain Asarensis.

e) Narrat Theophanes ad annum ſextum Iuſtiniani Rhinotmeti, Abd-al-malekum annuum tributum, quod Iuſtiniano Imperatori ſpoponderat, quo liberaretur a Mardaitis vel Maronitis Libani, hac nova pecunia Arabica ſolviſſe.

f) Titulus libri: اخبار الدول واثار الاول في التاريخ لابي العباس احمد بن يوسف الدمشقي

quoque qui numos aureos et argenteos [arab. denarios et drachmas] more Muſlemico ſignavit. Verba nimirum aliqua Corani iis inſcripſit, additis nomine urbis et aera. Ante hoc tempus numi aurei habuerant titulos graecos, argentei autem perſice ſignati fuerant.„

Conſentit cum his auctoribus *Ibn-Cotaiba* in libro de genealogiis et rebus geſtis Arabum *g*): فلما فرغ من بنا الكعبة كتب اليه عبد الملك بعمله على العراق فسار اليها سنة خمس وسبعين وضربت له الدنانير والدراهم بالعربية سنة ست وسبعين ،

„Poſtquam Hegagus templum Meccanum reſtauraverat, Abd-al-malek miſſis codicillis eum Iracae gubernatorem conſtituit, quo profectus anno LXXV, numos aureos et argenteos anno ſequente LXXVI ibi excudi curavit.„

Diſſentiunt quidem hi auctores in anno deſignando, quo primum numi arabici excuſi fuerunt, cum alii rei numariae primordia ad a. fugae LXXV, alii ad a. LXXVI *h*), referre malint: omnes autem in eo conſentiunt, Abd-al-Malekum cura Hegagi primam monetam Arabicam conſtituiſſe, cui ſententiae etiam favent numi, quorum nullus hanc epocham ſuperat. Quod autem ad hoc tempos argenteos quidem Perſicos numos, aureos autem graecos uſurpaſſe dicuntur Arabes, hoc quoque ex hiſtoria huius temporis illuſtratur. Perſis enim, teſte Procopio *i*), non licebat aureos numos excudere; Graecorum autem

g) Titulus libri: كتاب المعارف في اخبار العرب ونسابها Idem locus laudatur in repertorio l. c. p. 205.

h) Imo Abulfaragius ad a. Chr. 697 vel a. fugae LXXVIII. Vide Abulfaragii chronicon Syriacum ex editione cl. Kirſchii pag. 118. verſ. lat.

i) Gothic. III. 30. coll. Repertor. l. c. p. 220.

tem argentei numi ſine dubio aeque boni probique non erant ac Perſici: quare Arabes, neceſſitate cogente, illorum argenteos, horum aureos numos accipiebant. Invidiam autem et odium in Chriſtianos temporis ſucceſſu eos adduxiſſe, ut cum graeca reiecta perſica quoque pecunia, ipſi officinas monetarias conſtituerent, aperte quoque teſtantur numorum arabicorum tituli, qui ita quidem comparati ſunt, ut arma non movere contra Chriſtianos non potuerint.

Materia primorum Arabum numorum, teſte Elmacino, non erat bona, ſed emendarunt eam poſtea Omar filius Hobairae, Chaled Carſchaeus, et Ioſeph filius Omari. Qui omnes Iraci praefecti fuerunt poſt Hegagum illum, monetae arabicae conditorem. Et quidem Omar, Hobairi filius, poſt mortem Hegagi anno fugae XCV Iracae gubernationem capeſſivit, ſed quaenam eius in rem numariam merita fuerint, ab hiſtoricis relatum non legi. Huius in locum ſuffecit Heſchamus Chalifa anno CV Chaledum, Abdallae filium, quem Ibn-Chalican in vita virorum illuſtrium بن قيصر Caeſaris filium, Elmacinus القرشي Coraiſchitam, rectius autem Ibn-Cotaiba القسري Caſaritam cognominat. Hoc tempore pondus drachmarum vel numorum argenteorum triplex erat, ut obſervat Elmacinus; unius ſpeciei pendebant deni numi denos Metkal (unus unum Metkal), alterius quinque (vel unus dimidium Metkal), et tertiae ſex. Remoto Chaledo ſucceſſit Abu-Abdalla Iuſuf filius Omari a. fugae CXXI, qui Iraçam gubernavit ad finem anni CXXIV. De eo Ibn-Chalican *k*): وذكر عمر بن شبه (اليمزي) في كتاب اخبار البصرة ان يوسف ابن عمر وزن درهما فنقص حبّة فكتب الي دور الضرب فضرب اهلها فاحصي في تلك الحبّةماية الف سوط ضربها الناس „Narrat Omar Schabihi filius . . . in libro, cui

k) In vitis virorum illuſtrium, opere ſatis celebri, inter codices arabicos bibliothecae Regiae Hafnienſis Fol. N. 2.

titulus: hiſtoria Baſrae, Ioſephum Omari ad libram examinaſſe drachmas, et cum iuſto ponderi deficere animadvertiſſet granum unum, iuſſiſſe, ut operae in officinis monetariis pro numero numorum, qui pondus non haberent, vapularent; hoc modo 100,000 ſcuticae ictus diſtributos fuiſſe. „

Valor autem et pretium pecuniae aureae argenteaeque, et utriusque inter ſe relatio non ſemper ſibi conſtans fuit. Ab initio denarium vel numum aureum valuiſſe decem drachmas ſeu numos argenteos, patet e relatione Elmacini p. 23, ubi pretioſum velum portici palatii Madaienſis, ab Arabibus expugnati, deſcribit, quod mille المثقال Mitkalorum h. e. denariorum millibus venditum fuerit, quorum unus efficiebat decem drachmas, وقيمة المثقال عشرة دراهم Poſtea valebat unus denarius tredecim drachmas, id quod efficiter e verbis Abulfedae ad annum CCCXXX, in annalibus Muſlemicis T. II. edit. Hafnienſis pag. 419. primum nimirum eorum, quae Bagdadi inſtituebat Naſer-ed-daula Hamdanicus, fuiſſe auri flandi feriendi ad priſtinum probumque modulum reſtitutionem. Numi enim aurei, addit, qui tum uſu terebantur, quamvis tam vilis materiae eſſent, ut decem argenteos, neque plus, pretio aequarent, uſu tamen et aeſtimatione vulgari tredecim valebant. وكان الدينار بعشرة دراهم فبيع الدينار بثلثة عشر درهما Numorum aeneorum autem, qui فلوس folles appellabantur, interdum XXIV, alio tempore XLVIII unam aequabant drachmam. *l*)

Pluribus hac de re agit Soiutius in hiſtoria Aegypti, ubi verſus finem operis ſingularem inſerit diſſertationem, inſcriptam ذكر معاملة مصر „ De commercio Aegypti „ quam, cum in primis

l) Egregie diſſerit de pretio numorum arabicorum cl. Reiske in repertorio biblico et orientali T. IX. pag. 252 ſeqq.

mis ad rem noſtram facit, totam hoc loco e codice Hafnienſe *m*) adſcribemus. قال ابن فضل الله في المسالك معاملة مصر الدراهم ثلثاها فضة وثلثها نحاس والدراهم ثمانية عشر حبة خروب الخروبة ثلاث قمحات والمثقال اربعة وعشرون خروبة والدرهم منها قيمته ثمانية واربعون فلسا والدينار الحبيشي ثلاثة عشر درهما وثلث درهم واما الكيل فتختلف فيمصر الاردب وهو ست ويبات الويبة اربعة ارباع الربع اربعة اقداح ماينان واثنان وثلاثون درهما هذا اردب مصر وفي اريافها تختلف الاردب من هذا المقدار الي انهي ما ينتهي ثلاث ويبات والرطل اثني عشر اوقية الاوقية اثنا عشر درهما ، قال صاحب المراة في سنة خمس وسبعين من الهجرة ضرب عبد الملك ابن مروان علي الدنانير والدراهم اسم الله تعالي قال الهيثم وسببه انه وجد دراهم ودنانير تاريخها قبل الاسلام باربعماية سنة عليها مكتوب باسم الاب والابن وروح القدس فسبكها ونقش عليها اسم الله تعالي وايات من القران واسم الرسول صلي الله عليه وسلم ، واختلفوا في صورة ما كتب فقيل جعل في وجه لا اله الا الله وفي الاخر محمد رسول الله وورح وقت ضربها وقيل جعل في وجه قل هو الله احد وفي الاخر محمد رسول الله وقال القضاعي كتب علي احد الوجهين الله احد من غير قل ولما وصلت الي العراق امر الحجاج فزيد فيها في الجانب الذي فيها محمد رسول الله في جوانب الدرهم مستديرا ارسله بالهدي

m) Titulus operis eſt: كتاب حسن المحاضرة في اخبار مصر والقاهرة للشيخ العلامة جلال الدين الاسيوطي Exſtat inter codices orientales bibliothecae Regiae Hafnienſis N. 54 in Quarto.

بالهدي ودين الحق الاية واستمر نقشها كذلك الي زمن الرشيد
فاراد تغييرها فقيل له هذا امر استقر والفه الناس فابقاها علي
ماهي عليه اليوم ونقش عليها اسمه وقيل اول من غير نقشها
المنصور كتب عليها اسمه اما الوزن فما تعرض احد لتغييره
انتهي كلام صاحب المرآة، h. e. „Refert Ibn-Fadl-allah in libro, cui titulus al-meſalec meamelat Miſr, drachmas (l. numos argenteos) continere partes duas tertias argenti, et unam tertiam partem aeris; drachmam unam pendere octodecim grana ſiliquae, et granum ſiliquae tria grana tritici, XXIV autem grana ſiliquae aequare unum Metkal; drachmam valere XLVIII folles vel numos aereos, denarium autem الحبيشي *n*) tredecim drachmas cum una tertia parte drachmae. *o*) Verum Kil (menſurae aridorum genus) pondere non ſibi conſtat. Aegyptii utuntur Ordabo (menſura aridorum Aegyptiaca) quae continet ſex Vaibas, una Vaiba quatuor Arbâ, quadrantes, quadrans quatuor acdach vel ſcyphos. Ducentae triginta et duae drachmae efficiunt Ordabum Aegyptiacum. Sed in regionibus ſatis praeditis differt Ordab ab hoc pondere, et ne tres quidem Vaibas aequat. Rotulus habet duodecim uncias, uncia duodecim drachmas. Auctor libri el-merat h. e. ſpeculi *p*) haec narrat de numis arabicis: Anno fugae LXXV incoepit Abd-al-malec Marvani filius numis aureis argen-

n) Sic in litura ſcriptum erat. In repertorio l. c. p. 268. ubi hic locus laudatur, eſt الحجيشي Vtrumque corruptum.

o) Ita recte habet codex Hafnienſis. In repertorio l. c. temere legitur ثلاثة وعشرون „viginti tres drachmas cum una tertia parte drachmae.„ Tot drachmas pretio numquam aequavit numus aureus.

p) Innuit librum Merat es-ſemân, ſpeculum temporis, qui continet hiſtoriam Aegypti auctore Sebt Ibn-el-Gouzi.

argenteisque inscribere nomen summi Dei. Causa fuit, teste Haitamo, quod inventi essent aurei et argentei, CCCC annos ante Islamismum signati, quibus inscriptum erat, „In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.„ Hos liquefaciendo refinxit, iisque inscripsit nomen Dei summi, versiculos Corani, et nomen Prophetae. De titulis tamen horum numorum non inter omnes convenit. Nonnulli volunt, eum in adverso numo scripsisse: „Non est Deus, nisi Deus„ in averso: „Muhammed est apostolus Dei„ una cum aera. Alii dicunt, ab una parte scriptum esse: „Dic, Deus est unicus!„ ab altera: „Muhammed est apostolus Dei.„ Al-codai asserit, eum in adversa scribi curasse: Deus est unicus, omissa voce, dic: qui numi cum in Irac venissent, iussisse Hegagum, ut in ea parte, cui inscriptum erat: Muhammed est apostolus Dei, eadem Corani sententia plenius in margine iteraretur, additis verbis: „quem cum vera et recta religione misit„ rel. Hanc numorum inscriptionem durasse ad tempus Raschidi, qui commutare quidem eam cogitaverit, sed proponentibus, hanc formam iam diu in usu hominum fuisse, omnesque ei esse assuetos, cedere maluerit, addens tantum solito titulo suum nomen. Alii tandem dicunt, Mansurum primum titulos commutasse, suumque nomen addidisse. *q*) Quod vero ad pondus, nemo illud mutavit. Hactenus auctor libri Merat. „

Sed haec sufficiant prolusionis loco. Ipsos numos Borgianos et nonnullos alios e nostra collectione explicare aggredimur,

q) Quinam veri fuerint tituli antiquissimorum numorum, et quo modo, quo tempore commutati fuerint, e numis postea recensendis, cuilibet facile patebit. Temere quoque asserit auctor, pondus numorum numquam fuisse mutatum.

dimur, quorum illos appoſita littera B, hos littera A diſtinguemus. Et quidem hunc ordinem ſequemur, ut primum numos Aſiaticos, tum Africanos et Aegyptiacos, deinde Hiſpanicos vel Andaluſenos, denique numos arabicos a Chriſtianis editos et bilingues, ſingulos ſeorſim illuſtremus.

NVMI

NVMI
CHALIFARVM ET DYNASTIARVM
IN ASIA.

NVMI CHALIFARVM.

I. NVMI CHALIFARVM OMMIADARVM.

I. B.

Numus argenteus Validi, Chalifae Ommiadae, a. xc Chr. 708. ineditus.

I. Area. لا اله الا الله *Non est Deus, nisi*
الله وحده *Deus unus, cui*
لا شريك له *socius non est.*

Margo. بسم الله ضرب هذا الدرهم باصطخر في سنة تسعين h. e. *In nomine Dei cusa est haec drachma* [ita appellant numos argenteos] *Astachar* [nomen urbis] *anno nonagesimo*, vel anno aerae vulgaris 708.

II. A. الله احد الله *Deus est unicus, Deus*
الصمد لم يلد و *est aeternus; non genuit,*
لم يولد ولم يكن *neque generatus est, neque*
له كفوا احد *est ei similis alius.*

E Corano, Sura CXII.

M. محمد رسول الله ارسله بالهدي ودين الحق ليظهره علي الدين كله ولو كره المشركون *Muhammed est legatus Dei, quem cum vera et recta religione misit, quae prae aliis omnibus emineret, licet eam aversentur infideles.*

E Corano, Sura IX. v. 33. et Sura LXI. v. 9.

Gemma inter antiquos numos Cuficos, XIV tantum annis inferior illa epocha, qua Elmacinus initias monetae Arabicae fixit. Nulli argenteo, hucusque cognito, cedit, nisi praestan-

tissimo illi Tychseniano[1] anni LXXXII, aerae vulgaris 701, et Bodleiano anni LXXXVIII, aerae vulgaris 706, a Costardo publicato.[2] Proxime ad nostrum accedunt, Goettingensis anni XCVIII, Chr. 716, illustratus a cl. Th. Chr. Tychsen,[3] et Nanianus anni C, Chr. 718, a cl. Simone Assemano descriptus.[4] Aureorum autem numorum antiquissimi sunt: Nanianus anni XCI, Chr. 710,[5] et Venetianus anni XCVII, Chr. 715.[6] Aeneorum denique princeps Nanianus a. CIV, aere vulgaris 722.[7]

Argen-

1) Tychsenianum appello numum Cuficum, a cl. Olao Gerardo Tychsen delineatum atque descriptum in libro, germanice edito: Bützowische Nebenstunden T. V. Butzovii 1769. pag. 64. Particulare habet hoc, quod nomen non Chalifae solum, sed quoque primi monetae arabicae conditoris, exhibeat. Titulos numi apponam:

I. Area, ut in nostro.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بدمشق سنة اثنتين وثمانين

„In nomine Dei cusa est haec drachma Damasci, a. LXXXII.„

II. Area. الله صمد „Deus est aeternus.

محمد رسول الله „Muhammed est Dei legatus.

الخليفة العبد الملك „Chalifa Abd-al-malek..

الحجاج بن يوسف „Hegag filius Iosephi.„

In margine posticae partis nullus reperitur titulus.

2) In libro Anglico: two dissertations on the word Kesitah. Oxonii 1750. 8.

3) In commentationibus de numis orientalibus, commentationibus Societatis scient. Gottingensis a. 1790 insertis pag. 5.

4) In libro Italico: Museo Cufico Naniano P. II. Padova 1788. 4. pag. LXXXVI.

5) Museo Cufico Naniano P. II. pag. LXXXV.

6) Ecclesiae Venetae antiquis monumentis nunc primum editis illustratae P. I. pag. 65. Museum Cuficum Borgianum pag. 8. Museo Cufico Naniano pag. VII.

7) Museo Cufico Naniano P. II. pag. CXIII.

Argenteus ille numus Goettingenſis Damaſci eſt excuſus; ſeriores fere omnes Vaſeti nomen exhibent; noſter autem cui urbi tribuendus ſit, mihi quidem non conſtat. Veſtigia quidem apparere videntur nominis Antartuſae انطرطوس, urbis Syriae, quae a. XV Chr. 636 ab Arabibus expugnata fuit,[8] vel, ſi mavis, Atraboloſae اطرابلس, h. e. Tripoleos, pariter antiquae Syriae urbis, eodem fere tempore ab Arabibus ſubactae; ſed certi nihil habeo. Chalifatum hoc anno tenuit Valid, Abd-el-maleki filius, mortuus a. XCVI Chr. 715.

II. B.

Numus aureus Solimani, Chalifae Ommiadae, a. XCVII vel XCIX. Chr. 715 vel 717. ined.

I. A. ut ſupra.

M. بسم الله ضرب هذا الدينار بواسط سنة سبع (vel تسع) وسبعين *In nomine Dei cuſus eſt hic denarius* [ſic aurei numi appellantur] *Vaſeti, anno XCVII* vel *XCIX*, aerae vulgaris 715 vel 717.

II. A. ut ſupra in numo I. Numus averſus in margine inſcriptione caret: ceterum iisdem, quam reliqui huius epochae, titulis ornatus eſt.

Vaſeti, Iracae urbe ad Tigrim, ab Hegago, monetae arabicae auctore, exſtructa, hoc tempore florentiſſima erat officina monetaria, e qua et aurei, et argentei numi prodierunt. De urbis origine haec obſervat Ibn-Chalican in vita Hegagi:[9] وهو الذي بني مدينة واسط وكان شروعه في ابتنايها في سنة اربع وثمانين للحجرة وفرغ منها في سنة ست وثمانين وانما سماها

8) Abulfedae annales Muſlemici, editio Hafnienſis T. II. pag. 227.

9) Ibn-Chalican hiſtoria virorum illuſtrium كتاب وفيات الاعيان inter codices manuſcriptos arabicos Bibliothecae Regiae Hafnienſis Fol. N. 2.

سماها واسط لانها بين البصرة والكوفة بوسطهما وذكر ابن
الجوزي في شذور العقود المرتب على السنين انه فرغ من بنايتها
في سنة ثمان وسبعين وكان قد ابتداء من سنة خمس وسبعين،

„Hegagus aedificavit Vaſetum, cuius prima fundamenta iecit anno fugae LXXXIV, conſtructionem abſolvit a LXXXVI. Vaſet h. e. mediam urbem vocavit, quod media iaceret inter urbes Baſram et Cufam. Ibn-Guzi tamen in Schedur el-akud [h. e. margaritis monilis, libro ſic inſcripto] urbem aedificari coeptam ſtatuit a. LXXV, abſolutam a LXXVIII. „ Hactenus Ibn-Chalican. Cum eo contra Ibn-Guzium laudatum facit Ibn-Schohna,[10] qui urbem anno LXXXIII conditam eſſe aſſerit:

وفي سنة ثلث وثمانين بني الحجاج مدينة واسط،

Item Iacuti (vel rectius Bakui) anno LXXXIV incoeptam fuiſſe ſcribit urbis conſtructionem, finitam duobus annis poſt.[11] Et ſic plurimi probatiſſimique ſtatuunt auctores Arabici. — Ceterum memoria non indignum eſt, in hoc numo urbis nomen laudari, quod in plerisque aureis huius aevi omittitur.

Aera numi legi poteſt XCVII et XCIX. In antiqua enim Arabum ſcriptura, ubi puncta diacritica plerumque omittuntur, ſaltem in numis et marmoribus, tam ſimiles ſibi ſunt voces سبع ſeptem, et تسع novem, ut raro diſtingui recte queant. Imo eandem ab cauſam numum anno LXXVII vindicare poſſes, atque argumentum pro tanta numi antiquitate e ſimpliciore eius forma petere: id quod tamen accipere non auſim. Referendus potius videtur ad recentiorem illam epocham, quae incidit in tempora Chalifae Solimani, Abd-el-maleki filii, Validi ſucceſſoris, mortui eodem anno XCIX.

III. A.

10) Ibn-Schohna hiſtoria univerſalis, inter codices arabicos bibl. Regiae Fol. N. 23.

11) Vide Notices et extraits des Manuſcrits de la bibliotheque du Roi. Tome II. Paris 1789. pag. 463.

III. A.

Numus argenteus Iezidi, Chalifae Ommiadae, a. CIII Chr. 721 ined.

Convenit cum numo I. excepta aera, quae in margine adverſae partis legitur hiis verbis: بسم الله ضرب هذا الدرهم بواسط سنة ثلث ومية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Vaſeti anno CIII* h. e. 721. Iezid Abd-el-maleki filius hoc tempore ſedem Chalifarum occupavit.

IV. B.

Numus argenteus Iezidi vel Heſchami Chalifae, a. CV Chr. 723 ined.

Antecedenti in omnibus ſimilis. Aera: بسم الله ضرب هذا الدرهم بواسط سنة خمس ومية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Vaſeti anno CV.* aerae vulgaris 723. Iezido vel Heſchamo Chalifae tribuendus, quorum ille hoc anno obiit, hic eodem ei ſucceſſit.

V. A.

Numus argenteus Heſchami, Chalifae Ommiadae, a. CXI Chr. 729 ined.

Vt antecedentes. Aera: بسم الله ضرب هذا الدرهم بواسط سنة احدي عشرة ومية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Vaſeti anno CXI* h. e. 729.

VI. B.

Numus argenteus eiusdem Chalifae, a. CXVIII Chr. 736. ined.

Ab antecedentibus differt tantum eo, quod maioris ſit moduli. Aera: بسم الله ضرب هذا الدرهم بواسط سنة ثمان عشرة ومية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Vaſeti anno CXVIII* aerae vulg. 736.

VII. A.

VII. A.

Numus argenteus eiusdem Chalifae, a. CXXIV Chr. 741. ined.

Similis prioribus I. III. IV. V. Aera: بسم الله ضرب هذا الدرهم بواسط سنة اربع وعشرين ومية *In nomine Dei cusa est haec drachma Vaseti anno CXXIV,* aerae vulgaris 741.

Pertinent tres numi posteriores ad Chalifatum Heschami, Abd-el-maleki filii, qui Iezido, fratri, successit a. CV. obiit a. CXXV. Alium numum argenteum eiusdem Heschami, anno CXXIII excusum, delineari curavimus in Museo Cufico Borgiano N. I. aliumque anni CXXV exhibet cl. Assemanus in Museo Cufico Naniano P. II. p. 89. Tab. V. n. LV.

Excusi igitur sunt primi Arabum numi, antequam Vaset aedificaretur, (quam non ante annum LXXXIII conditam fuisse asserunt probatissimi Arabum auctores) Damasci, forte quoque Antartusae, vel in alia quadam Syriae urbe: postea autem, cum Hegagus monetam Arabum suam in urbem, Vasetum, transferri curavisset, hoc loco plurimi prodierunt. Quare corrigenda sunt, quae olim in praefatione Musei Cufici Borgiani p. 13 adnotavimus, primos numos Arabicos sine dubio Vaseti excusos fuisse, urbe, ab ipso pecuniae Arabicae auctore aedificata.

Facile ab omnibus aliis distinguuntur hi antiquissimi Arabum numi. Omnes cum simplicitate, vetustatis certo indicio, elegantiam quandam coniungunt, quae in plurimis recentioribus desideratur. Auream veluti aetatem rei numariae apud Arabes constituunt, quae, regnantibus Amino et Mamuno, renasci quidem incoepit, sed mox ingruente barbarie penitus interiit. Omnes quoque eosdem titulos, eodem modo collocatos, et inter eos verba illa الله صمد Deus est aeternus rel. exhibent, quae Elmacinus ut insigne eorum laudat, quo a serioribus facile distinguerentur. Aurei plerumque solam aeram, argentei

argentei praeter aeram urbis quoque nomen proferunt; illi aeram in margine adverſae, hi in margine averſae partis memorant; et hi et illi in utroque margine titulum agnoſcunt, exceptis antiquioribus, in quibus verſus ille Corani: „Muhammed eſt Dei legatus, quem cum vera religione miſit„ rel. non legitur; omnes denique Chalifae nomen omittunt, praeter ſingularem illum numum Tychſenianum, quem ſupra laudavimus pag. 4. adnot. 1. qui nomen, non Chalifae ſolum, ſed Hegagi quoque exhibet.

De numo Borgiano XCI, quem temere a nobis his Ommiadicis numis annumeratum eſſe recte obſervat cl. Th. Chr. Tychſen (in commentatione I. de numis arabicis pag. 11.) alio loco infra dicemus.

II. NVMI CHALIFARVM ABBASIDARVM.

VIII. A.

Numus argenteus Manzuri Abbaſidae, a. CXLII vel CXLV, Chr. 759 vel 762. ined.

I. Area. لا اله الا الله — *Non eſt Deus, niſi*
الله وحده — *Deus unus, cui*
لا شريك له — *ſocius non eſt.*

Margo. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالبصرة سنة اثنين واربعين ومية (vel خمس) *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Baſrae anno CXLII* vel *CXLV*, aerae vulgaris 759 vel 762.

II. A. محمد — *Muhammed*
رسول — *eſt legatus*
الله — *Dei.*

M. *Muhammed eſt legatus Dei, quem cum vera* rel. vid. N. I.

Antiquiſſimus forte Abbaſidicorum numorum, qui ad nos pervenerunt. Antiquiores enim, quos paſſim laudatos legi, perquam ſunt ambigui. Incerta tamen quoque eſt aera noſtri. Litterae enim arabicae paulo detritae et اثنين duo, et خمس quinque notare poſſunt; licet ultima linea priorem potius vocem prodere videatur.

Chalifatum hoc tempore occupavit ſecundus Abbaſidarum Abu-Gafar el-Manzur Abdalla, Chalifa renunciatus a. CXXXVI Chr. 753. mortuus a. CLVIII Chr. 774, teſte Abulfeda in annalibus Muſlemicis. Plurimam otii partem Anbarae egit, deinde Haſchemiae, usque dum a. CXLV Bagdadi fundamenta iecisſet. Baſrae, ubi numus noſter excuſus eſt, eius nomine praeerat Sofian, filius Moaviae, urbe quidem eiectus ab Ibrahimo Alida a. CXLV, quem tamen mox opprimebant victrices Manſuri copiae. Iuvat hoc loco urbis origines, et hiſtoriam brevibus attingere. Prima eius fundamenta iecit iuſſu Omari, Otba Gazvani filius, anno fugae XVI. primusque eius gubernator fuit Mogaira, filius Schobae, quem Abu-Muſa Aſcharita excepit. Poſt hunc urbi praefuit Abdalla, filius Ameri, a. XXIX, tum Otman, filius Honaifi, a. XXXV. Anno XXXIX Baſrae praefectus laudatur Abdalla, filius Abbaſi. Ommiadarum tempore moderamen urbis capeſſivit Zeiadus a. XLV, cuius gubernationi adiunctae fuerunt regiones Choraſanae et Segeſtanae, ut et procedente tempore Sendia, Hendia, Bahraina et Omana. Cui interfecto a. LIII ſucceſſit filius Obaidalla, poſtremis annis Cufae quoque praefectus, occiſus a. LXVII. Interea Meccae ſalutatus fuerat Chalifa Abdalla, Zobairi filius, Abbaſidici Chalifae aemulus: qui praeter Iemanam et Hegazum, Baſram et cum ea Iracam ſubegit, cui Obaidallae loco fratrem ſuum Moſabum praefecit. Idem Moſab Cufam quoque, Mochtaro, urbis praefecto, eiecto ſibi ſubiecit: ſed anno LXXI ipſe, et anno ſequente frater Abdalla, Meccanus Chalifa, ab Abd-al-Maleko victi in pugna ceciderunt. Provincia,

cia, hoc modo Abbaſidico Chalifae vindicata, anno deinceps LXXV Hegago, celebri illo in hiſtoria gubernatori, tradita fuit, qui eam per annos fere viginti adminiſtravit.[12] Silent hiſtorici de ſequentibus urbis praefectis et fatis usque ad illos, quos ſupra laudavimus Ibrahimi Alidae motus, in quorum tempus numus noſter incidit.

IX. A.

Numus argenteus Manzuri Abbaſidae, a. CLIII Chr. 770. ined.

I. Area ut in numo antecedente.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة ثلث وخمسين ومية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma in urbe pacis anno CLIII* h. e. aerae vulgaris 770.

II. A. ut in antecedente. Infra forte legitur nomen يحيي *Iahia* vel Ioannis.

M. ut in antec.

Hic quoque numus ad Chalifatum Manſuri pertinet, cui antecedentem tribuebamus. Excuſus eſt in ipſa auguſta urbe, Bagdad, aedificari coepta anno CXLV, et in honorem ſedis Chalifaurm evecta inde ab anno CXLVI, ex quo cognomen urbis pacis vel incolumitatis, veluti ſedis illius religionis, quae libertatem incolumitatemque praeſtet aſſeclis ſuis, aſſumſit. Promiſcue tamen in numis et hoc nomen, et antiquius Bagdad, uſurpatur.

In parte averſa numi apparet litterarum ductus, qui Iahia legi poteſt; nomen forte praefecti rei monetariae. Mihi tamen veriſimilius, hunc ductum, qui in multis conſpicitur numis, nihil aliud eſſe, quam floſculum, ornamenti cauſa adiectum.

12) Abulfedae annales, ed. Hafn. T. I. p. 225. 239. 263. 289. 331. 363. 405. 412. et adnot. p. 88. 413. 418. 431. T. II. p. 7. 17. al.

X. A.

Numus argenteus Mahdi Abbaſidae, a. CLXVI Chr. 782. ined.

I. A. ut in antecedentibus.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالمحمدية سنة ست وستين ومية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Muhammediae anno CLXVI*, aerae vulgaris 782.

II. A. محمد رسول *Muhammed eſt apoſtolus*
الله صلي الله *Dei, cui propitius*
عليه وسلم *et benignus ſit Deus!*
الخليفة المهدي *Chalifa Mahdi.*

M. ut in ſuperioribus.

Muhammed Mahdi, Manſuri filius et ſucceſſor, Chalifatum capeſſivit a. CLVIII, tenuit usque ad a. CLXIX. Hic princeps non modo elegantius excudi curavit numos Arabicos, ſed primus quoque fuit, qui nomini Muhammedis pia vota addidit, ſuumque nomen adiecit.[13] Antiquiores enim numi principum nominibus carent. Plures huius Mahdi numi, eiusdem generis, ab aliis publicati ſunt, ut unus a. CLXI a Georgio Iac. Kehr,[14] praeterea duo a. CLXII et CLXIII Bagdadi excuſi, a Io. Ia. Reiskio.[15] Poſteriores nomen urbis pacis h. e. Bagdadi exhibent, prior Muhammediae, ut noſter, ni fallor, eſt excu-

13) Excepto tamen Abdalmaleko, qui in primis et antiquiſſimis numis nomen ſuum exprimi curavit. Vide ſupra ad numum I. adn.

14) In libro, Monarchiae Aſiatico-Saracenicae ſtatus ex numis argenteis. Lipſ. 1724. N. XVIII. Sed urbis nomen in hoc numo non eſt Baſra, ut placet Kehrio, ſed Muhammedia, id quod ex ipſa delineatione numi patet.

15) In libro: Repertorium für morgenländiſche und bibliſche Litteratur. T. XVII. p. 252. 253.

excuſus. Variis locis commune erat hoc nomen,[16] unde difficile eſt ſtatuere, e quanam moneta numus noſter ſit profectus. Sed forte ex ipſa auguſta urbe, Bagdad, prodiit, cuius ſingulae regiones ſingula habuerunt cognomina, a conditoribus vel inſtauratoribus petita, ut urbs Manſuri, vel Abu-Gafari,[17] Mamunia,[18] Schamaſia[19] al. Id quod eo probabilius eſt, quod alii huius Chalifae numi, noſtro titulorum argumento, typorumque elegantia omnino ſimiles, ut duo illi Reiskiani, loco Muhammediae, frequentius illud Bagdadi cognomen مدينة السلام urbis pacis exhibeant.

XI. B.

Numus argenteus Mahdi Abbaſidae, a. CLXVIII Chr. 784. ined.

Tituli utriusque partis iidem ſunt, qui in antecedente. Aera: بسم الله ضرب هذا الدرهم بالمحمدية سنة ثمان وستين ومـيـة *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Muhammediae, anno CLXVIII,* aerae vulgaris 784.

XII. A.

Numus aeneus Haruni Raſchidi Abbaſidae, poſt a. CLXX, Chr. 786.

1. A. ut N. VIII et ſequentes.

M. بسم الله ضرب هذا ..... بالعباسية سنة - - - ومـيـة

In nomine Dei cuſus eſt hic numus Abbaſiae, anno centeſimo - - - -

16) Laudatur Muhammedia inter urbes Meſopotamiae a Geographo Nubienſe, initio ſectionis ſextae climatis quarti in edit. arabica. Alia eiusdem nominis urbs, in Africa ſita, nominatur ab Abulfeda apud Reiskium in prodidagm. ad calcem tabulae Syriae Abulfedae ed. Köhler pag. 122.

17) Ita appellabatur ea urbis pars, cuius fundamenta iecerat Chalifa Abu-Gafar el-Manzur, et in qua خلد Chold, ſeu palatium erat Chalifarum.

18) Mamunia laudatur ab Abulfaragio in hiſt. dynaſt. p. 258.

19) Abulfedae annales. Edit. Hafn. T. II. p. 753 adn. 299.

Quae deſunt, legi poſſunt aut احدي aut ستّ وسبعين anno centeſimo ſeptuageſimo primo, vel ſeptuageſimo ſexto.

II. A. ut ſupra. Litterarum ductus, qui ſupra et infra lineas animadvertuntur, legi quidem poſſunt يحيي Iahia, et نوح Nuh, ſed flores potius vel ornamenta eſſe videntur.

Margo titulum exhibet a ſolitis diverſum, eundem, qui etiam in numo Borgiano IX et Nanianis XIII. LXII. apparet, ſed in detrito numo lectu difficilem. Numis aeneis huius aevi proprius eſſe videtur hic titulus.

De Abbaſia idem ſtatuere velim, quod ſupra de Muhammedia aſſerui, eam palatium regium (in quo officina monetaria eſſe ſolebat), vel vicum fuiſſe prope auguſtam urbem, a Chalifa quodam Abbaſida conſtructum. Et re vera Abbaſia in latere Bagdadi occidentale ſita laudatur ab Abulfeda in annalibus Muſlemicis ad an. DXXVI edit. Hafn. T. III. p. 449.

Regnante Haruno excuſum fuiſſe hunc numum, licet, ut plurimi coaevi, principis nomen non exhibeat, patet tamen ex indicio aerae: Harun enim Chalifatum tenuit ab anno CLXX, quo germano fratri Muſae ſucceſſerat, ad an. usque CXCIII.

XIII. B.

Numus argenteus Haruni Raſchidi Abbaſidae, a. CLXXVII. Chr. 793. ined.

Vtraque area, ut antecedens. In poſtica parte ante celebre illud ſymbolum: Muhammed eſt Dei legatus, lineolae quaedam conſpiciuntur, quae nomen dare poſſunt يحيي Iahiae, niſi potius ornamenti cauſſa ſint adiectae. Infra autem longior litterarum ductus, ſed perquam detritus animadvertitur, cuius uon niſi veſtigia ſuperſunt: . . ا . . . . ل Num forte uterque ductus nomen et cognomen efficiat Iahiae Barmacidae, celebris illius viri, qui in aula Haruni maxima auctoritate pollebat?

Aera

Aera legitur in margine anticae partis: بسم الله ضرب هذا الدرهم بالعباسية سنة سبع وسبعين ومية *In nomine Dei cusa est haec drachma Abbasiae* (de qua ad numum proxime antecedentem) *anno CLXXVII.* h. e. aerae vulgaris 793.

XIV. A.

Numus argenteus Haruni Raschidi Abbasidae, a. CLXXXVIII. Chr. 803.

Idem numus, quem delineari curavit et descripsit Georg. Iac. Kehr in libro supra laudato, N. I. pag. 8 seq.

Vtraque area et margo posticae partis solitos exhibent titulos. Aera autem his verbis indicatur: بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة ثمان وثمنين ومية *In nomine Dei excusa est haec drachma in urbe pacis* (vel incolumitatis, h. e. Bagdad) *anno CLXXXVIII*, aerae vulgaris 803.

XV. A.

Numus argenteus Haruni Raschidi Abbasidae, a. CXCII. Chr. 807.

Hic quoque numus describitur a Kehrio N. VIII. IX. p. 19. Convenit cum antecedente, excepta aera: بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة اثنتين وتسعين ومية *In nomine Dei cusa est haec drachma in urbe pacis anno CXCII*, vel 807.

Quatuor his Haruni numis addemus sex alios, omnes e nostra, quam Hafniae fecimus, collectione, a filiis Haruni, Amino et Mamuno, antequam sacramentum, ut Chalifis, illis diceretur, et quidem plurimi, patre vivo et regnante, excusos. Plures eiusmodi numi, licet aera diversi, ab aliis quidem typis divulgati sunt, sed omnes, si excipias unum, a cl. Tychsenio nuper publicatum,[20] et mendose delineati, et male explicari.

Magnis

20) Th. Chr. Tychsen in commentatione I. de numis Arabicis pag. 17. Tab. I. N. VIII.

Magnis omnino difficultatibus laborant hi numi, quarum ea, quam Reiskius[21] tanti habuit, ambigua nimirum quartae vocis in area poſticae partis interpretatio, me iudice, minima eſt. Illud potius ſingulare et accuratiore examinatione dignum mihi videtur, quod praetermiſſo nomine Chalifae patris, filiorum tantum nomina exhibeant hi numi. Inter iura regia primum habebatur editio numorum, quod princeps regnans in filios ſucceſſores vix transtulerit; neque filii rebelles fuerunt, qui vi armisque illud arripuiſſent. Tum quoque nomina urbium vel locorum, ubi excuſi ſunt hi numi, et nomina quaedam virorum, titulo principum ſubiecta, quae a nonnullis Vezirorum, ab aliis rei numariae praefectorum nomina eſſe putantur, non parum interpreti obiiciunt impedimenti. Putabam primum, eos editos fuiſſe in illis provinciis, quas pater anno CLXXXVI, Chr. 802 (teſte Elmacino pag. 115) filiis Amino et Mamuno gubernandas aſſignaverat, ſed repugnare video huic ſententiae, quod primus hac aera antiquior ſit, et prope ipſam auguſtam urbem ſine dubio excuſus. E quibus coniicio, tres quidem priores horum numorum, Chalifae conſenſu, ſollemne aliqua occaſione a magnatibus principumque amicis, quorum nomina prae ſe ferunt, principumque regni haeredum auctoritate editos fuiſſe: de tribus autem poſterioribus vix dubitandum, eos ab ipſo Mamuno in ea, quam gubernabat, provincia, fuiſſe excuſos. Videamus, an tituli numorum hanc coniecturam ut probabilem commendent.

XVI. A.

Numus argenteus Amini, patre Raſchido regnante excuſus, a. CLXXXI. Chr. 797. ined.

Primus his eſt numorum noſtrorum, ab Haruni Raſchidi filiis editorum. Titulos exhibet ſequentes:

I. A.

21) Vid. repertorium bibl. et or. germanice editum a cl. Eichhorn. T. X. p. 204. 205. T. XVII. p. 257. 258.

I. A. ut ſupra N. VIII.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالمحمدية سنة احدي وثمنين ومية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Muhammediae anno CLXXXI,* aerae vulgaris 797.

II. A. و *Et* [22]

محمد رسول الله *Muhammed eſt Dei legatus.*

مما امر به الامير الامين *Iuſſu et auſpiciis principis Amini*

محمد بن امير المومنين *Muhammedis, filii principis fidelium.*

جعفر *Gafar.*

M. ut ſupra.

De ambigua voce in area averſae partis quaedam praemonenda ſunt. Longe a vero aberrarunt Kehr et Reiske, viri in litteris arabicis verſatiſſimi, ille, qui mox legit ومالا نبيته h. e. et nobiliſſima creaturarum eius ſc. Dei eſt Muhammedes, mox, ad principem commemoraturum referens, وعلاقيته h. e. et aſſecla eius eique deditus, vel وخلفته et ſucceſſor eius, vel ومالوفه et amicitia ei iunctus; hic, qui, dubius tamen et incertus, legendum proponit متامّر به h. e. qui per illum (ſc. Deum) regnat, aut متالف ردّه qui deditus eſt domino ſuo. Propius accedit Th. Chr. Tychſen, vir cl. in commentationibus de numis arabicis Gottingenſibus ſupra laudatis, proponens ومامر به et divina gratia imperio potitus, quod tamen grammaticae repugnat. Iam noſtram proponemus ſententiam. Clare legitur non ſolum in his numis, ſed etiam in vitris muſei Naniani CX et CXIX, et in numo Niebuhriano [23] Tab. X. n. 3. in margine: ممامربه Quae litterae haec tria dant verba مما امر به, neque ad

22) Reſpicit ad titulum areae anticae partis: „Non eſt Deus niſi unus verus„ rel.

23) Deſcription de l'Arabie par Mr. Niebuhr, à Copenhague 1773.

ad Muhammedem, neque ad principem, regni haeredem, sed ad pecuniam potius, quam excudi iussit, referenda sunt. Proprie notant: de eo quod iussit[24] (princeps talis) vel, ut nosmet scriberemus: iussu huius principis scil. excudi fecit infra laudatus; in numo igitur, de quo nunc agitur, Iussu principis Amini Muhammedis, filii principis fidelium, excudi curavit Gafar.

His praemissis, quae ad historiam numi attinent, explicare tentabimus.

Iussu principis Amini Muhammedis, filii principis fidelium excusus dicitur. Princeps fidelium, arabice Emir el-mumenin vulgaris erat titulus Chalifarum, quem prae ceteris amabant. Primus ita appellari voluit, teste Abulfeda,[25] Omar, tertius Chalifa, cum antecessor eius amaret Chalifat resul-allah, seu successor apostoli Dei compellari. Filii autem Chalifarum simpliciter nominabantur امرا principes. Regnabat hoc tempore, quo excudebatur numus, Harun Raschid, Chalifa Abbasida, cuius filius natu maior erat Muhammed, cui pater cum cognomine Amini, ius successionis in Chalifatum tribuerat anno CIXXV, aerae nostrae 791,[26] cum annos natus esset quinque. Hic quoque, mortuo patre, ei successit anno CXCIII, Chr. 808, duodecim annos post editum numum, quam ob rem recte hoc tempore non quidem princeps fidelium, sed filius principis fidelium, nuncupatur.

Gafa-

24) Loquendi formula, Arabibus non infrequens. Ita titulus pallii Imperialis incipit his verbis: مما عمل „de eo, quod confectum est.„ Vid. Inscriptio arabica pallii Imperialis, explicata a Chr. Th. de Murr. Norimbergae 1790 pag. 9. Inscriptio in turri Diarbekri apud Niebuhr in Itinerario T. II. Tab. XLIX. incipit: مما امر بعمله „de eo quod iussit construi.„

25) Abulfedae annales Muslemici, editio Hafnienſis T. I. p. 223.

26) Ita Elmacinus in historia Saracenica pag. 113. Sed Abulfaragius pag. 150 iam anno CLXXI fratri Mamuno post Aminum successionis ius pacto tributum fuisse dicit.

Gafarus, qui post Aminum laudatur, sine dubio est Gafarus, Iahiae filius, e celeberrima Barmacidarum gente oriundus, Haruni Chalifae Vezirus, seu summus rerum administer. Arctissima cum eo amicitia iunctus erat, maxima in aula regia fruebatur dignitate, opibusque et potestate inclarescebat tanta, ut invidiam tandem et mortem sibi atque toti Barmacidarum genti concitaret anno CLXXXVII.

Muhammedia commemoratur in margine anticae partis. Cogitavit quidem Kehrius de urbe aliqua in Carmania; haec autem cognomen Muhammediae diu post a Mutevakkelo, Chalifa salutato a. CCXXXII, accepit. [27] Placet sententia Reiskii, qui Muhammediam nostram palatium aliquod vel vicum fuisse putat prope Bagdadum. Sed errat tamen in eo, quod a Muhammede Amino conditam et ab ipso Muhammediam nuncupatam dicit: antiquiorem enim esse patet e numo nostro X, e quo coniicio, a Mahdio Chalifa, cui quoque nomen Muhammedis fuit, prope Bagdadum fuisse exstructam, et nunc ab Amino inhabitatam.

Aera denique numi est CLXXXI, quo eodem anno Raschidus excursionem in Romaniam feciſſe legitur. [28]

Absente igitur Chalifa, a Gafaro Barmacida, qui res domi curabat, sub auspiciis principis iuvenis, regni haeredis, excusus eique veluti dicatus fuit egregius hic numus.

XVII. A.

Numus argenteus Mamuni, patre Raschido regnante excusus, a. CLXXXVI, Chr. 802. ined.

Secundus filiorum Haruni numus patre regnante editus, Mamuni nomen exhibet, cum titulis sequentibus:

I. A. ut supra.

27) Iac. Golii notae in Alferganum pag. 112.

28) Abulfeda ed. Hafn. T. II. p. 77.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة بلخ سنة ست وثمنين ومية *In nomine Dei cusa est haec drachma in urbe Balch, anno CLXXXVI,* h. e. aerae vulgaris 802.

II. A.	ق	*Et*
محمد رسول الله		*Muhammed est apostolus Dei.*
مما امر به الامير المامون		*Iussu principis Mamuni*
عبد الله بن امير المومنين ولي		*Abdallae, filii principis fidelium,*
ولي عهد المسلمين		*cohaeredis regni.*
يحيي		*Iahia.*

M. ut supra.

Sollemni sanctione Aminum, filium natu maiorem, ut supra diximus, regni haeredem constituerat Harunus Chalifa: huic autem ut succederet alter, nomine Abdalla, praeceperat. Quo ex tempore hic Abdalla praeter cognomen Mamuni, illum quoque cohaeredis regni titulum accepit, quem in numo nostro legimus. Arabice ita sonat: ولي ولي عهد المسلمين hoc est, si verbum verbo reddis, particeps participis, vel comparticeps testamenti, seu, ut equidem reddere malim, tutor tutoris foederis Muslemorum. Chalifatum enim, a Muhammede successoribus traditum, et ab uno ad alterum propagatum, foedus vel testamentum Muslemorum appellant, unde is, qui futurus Chalifae successor constituitur, ولي العهد tutor foederis audit. Patet hoc ex innumeris Abulfedae locis in annalibus Muslemicis, e quibus nonnulla afferemus. Testamento Chalifatum alicui legare, dicitur عهد بالخلافة T. II. ed. Hafn. p. 94 lin. 13. filium regni haeredem constituere, عهد الي ابنه ibid. p. 532 lin. 2. Mamun moribundus, Motasemo fratri summam potestatem tradens, Ego tibi, aiebat, iniungo custodiendum foedus et pactum Dei, عليك عهد الله وميثاقه Ibid. p. 162 lin. 8. Tutor foederis ولي العهد vel tutor foede-

foederis Muſlemorum ولي عهد المسلمين igitur eſt regni haeres vi teſtamenti ſubſtitutus ibid. p. 112 lin. 13, p. 454 lin. 6. et alibi, atque ولاية العهد cuſtodia foederis dicitur ius ſucceſſionis ibid. p. 270 lin. 12. Iam autem, ut redeamus ad numum noſtrum, ſucceſſor Chalifae deſignatus erat Amin, et poſt hunc Mamun: prior itaque more Arabum tutor foederis, poſterior tutor tutoris foederis appellabatur.

Principis nomini aliud ſubiicitur, quod يحيى Iahiae eſſe puto, nimirum Iahiae, fil. Chaledis, filii Barmaki, Gafari ſupra laudati patris, qui initio regiminis Haruni Veziratum tenuit Bagdadi, teſte Abulfeda l. c. p. 59, deinde autem, rerum gerendarum cura duobus filiis Fadlo et Gafaro commendata, res exteras curaſſe, et forte Choraſanam provinciam, ubi editus eſt numus noſter, gubernaſſe videtur. Animadvertit quidem cl. Reiskius in litteris ſuis de re numaria Arabum, germanice editis in repertorio biblico et orientali P. X. pag. 208, Iahiam hunc, in numis Mamuni memoratum, Barmacidam illum eſſe non poſſe, cum numus aliquis Kehrianus, eiusdem cum noſtro inſcriptionis, aeram habeat CLXXXVIII, quo anno et Iahia trucidatus, et tota Barmacidarum gens iam deleta fuiſſet.[29] Sed vix recte legit et interpretatus eſt Kehrius; in noſtro numo clare legitur aera CLXXXVI, eandemque Kehrianus ille, noſtro omnino ſimilis, ſine dubio exhibuit: uno igitur anno ante Barmacidarum cladem ſignatus eſt.

Clare quoque et perſpicue apparet nomen urbis in margine anticae partis, nimirum Balchi, Choraſanae urbis, neque ſollicitanda eſt cum Reiskio lectionis veritas ea de cauſa, quod anno demum CXCIII Choraſanae imperium ſuſceperit Mamunus. Iam enim anno CLXXXVI, Chr. 802, quo provincias inter filios diſtribuerat Chalifa, teſte Elmacino,[30] (ant ſi

29) Abulfedae annales Tom. II. pag. 80. 81.

30) Elmacini hiſtoria Saracenica pag. 115.

Abulfaragium[31] audis, anno CLXXII, Chr. 788, qui tamen varios variorum annorum eventus uno anno brevitatis causa comprehendisse videtur,) Mamuno Chorasana cum adiacentibus regionibus assignata fuit. Ab eo igitur tempore gubernator Chorasanae salutatus est Mamun, licet provinciam sibi demandatam post aliquot annos demum susceperit.

Itaque excusus est hic numus Balchi, metropoli Chorasanae, in honorem Mamuni, eo ipso anno, quo a patre gubernator huius provinciae constitutus esset, et a Iahia, provinciae hoc tempore praefecto, quo novum munus principi gratularetur, ei dicatus.

XVIII. A.

Numus argenteus Mamuni, patre Raschido regnante excusus, a. CXC, Chr. 805. ined.

Tertius huius generis numorum, eiusdem Mamuni, Chorasanae et Transoxanae gubernatoris designati, nomen exhibens, his titulis signatus est:

I. A. ut supra.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمعسكر الشاش سنة تسعين ومئة *In nomine Dei cusa est haec drachma in castris Schaschensibus anno CXC*, aerae vulgaris 805.

II. A. علي *Ali*

محمد رسول الله *Muhammed est apostolus Dei.*

مما امر به الامير المامون *Iussu principis Mamuni*

عبد الله بن امير المومنين ولي *Abdallae, filii principis fidelium,*

ولي عهد المسلمين *cohaeredis regni.*

نصر *Nasr.*

M. ut supra.

Schasch

31) Abulfaragii historia dynastiarum p. 150.

Schaſch nomen eſt et regioni et civitati in Transoxana, ultra fluvium Sihun. Illam Abulfeda [32] regionem totius Transoxanae amoeniſſimum vocat, ſupra XXV continentem civitates: hanc autem urbem ſplendidam ſub ditione Samarcandae, quinque diaetis a Fargana diſtantem.

In area poſticae partis praeter nomen principis duo alia nomina leguntur, Ali et Naſr. Crederem, illum eſſe Ali filium Iſae, fil. Mahani, Choraſanae praefectum, quem Elmacinus pag. 119 fin. ait anno CXCI a Raſchido de gubernatione huius provinciae demotum ob querelas civium de ipſius iniquitate et ſaevitia, eique ſuffectum fuiſſe هرثمة [ſic ibi legendum, non هرثيمة] Hartamam [33] fil. Aiani: Naſr autem in eadem provincia fiſco forte praefuit. Solebant enim Chalifae cuilibet provinciae geminum imponere praefectum, unum, qui militiam curaret, apud quem ſumma erat poteſtas, alterum, qui fiſcum; ille امير الحرب imperator belli, hic امير الخراج imperator redituum appellabatur. Sed ex illis, quae mox afferemus, probabilius tamen videtur, ſub nominibus illis Ali et Naſri duo exercitus duces latere.

Egregie enim hiſtoriam huius numi illuſtrat Abulfaragius in hiſtoria dynaſtiarum p. 152: „Anno centeſimo nonageſimo, inquiens, prodiit Rafe, filius Leiti, in Transoxana, et rebellavit contra Raſchidum Samarcandae. Anno centeſimo nonageſimo ſecundo Racca Bagdadum profectus eſt Raſchid in Choraſanam tendens, bellum Rafeo illatum, cumque aegrotare inciperet, Mamu-

32) Abulfedae Choraſmiae et Mavaralnahrae deſcriptio. Londini 1650. 4. pag. 50. Recuſa in Hudſonii ſcript. graec. minor. T. IV. Oxonii 1711. 8. pag. 65. 66.

33) Huic Hartamae, qui antea Africae praeerat, tribuit Reiskius, recte ni fallor, numum Kehrianum XII, eumque in Africa بافريقية excuſum putat a. 180, quem Kehrius temere certe anno 150 Rufakae cuſum eſſe aſſerit, et loco Hartamae هو ثمة „ille [Muhammed] perfectum eſt donum„ legendum proponit.

Mamunum filium, qui cum ipso fuit, unaque duces non paucos Marvam misit, ipse Tusam petiit, ubi diem obiit supremum. „ Patet ex hac Abulfaragii relatione, Chalifae hoc tempore, quo numus in castris Schaschensibus excusus fuit, revera bellum motum fuisse in Transoxana a rebelle Rafeo, eumque filium Mamunum ad illum opprimendum ablegasse. Mamunum autem non anno demum CXCII, sed ab initio tumultus a. CXC contra Rafeum exercitum duxisse, ideoque verba auctoris laudati, qui cum ipso fuit, non ita esse accipienda, quod Mamun Racca vel Bagdado patrem secutus, sed adventanti patri e Chorasana obviam profectus sit: e nostro numo efficitur. Excusa igitur fuit haec pecunia in castris Transoxanae, cum Mamun ope Alii et Nasri, belli ducum, arma moveret in Rafeum rebellem, in sumtus belli atque stipendium militibus debitum eroganda.

Accedimus nunc ad reliquos tres numos, ab eodem Mamuno in ea, quam gubernabat, provincia, excusos. Singulos brevibus illustrabimus.

XIX. A.

Numus argenteus Mamuni, Raschidi filii, Chorasanae et Transoxanae principis, a. CXCV. Chr. 810. ined.

I. A. ut supra.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بسمرقند سنة خمس وتسعين ومية *In nomine Dei cusa est haec drachma Samarcandae anno CXCV*, aerae vulgaris 810.

II. A.

لله	*Deo* [acceptus l. commendatus] *conf.* Tychsen. commentatio de numis Arab. Hispan. pag. 89.
محمد رسول	*Muhammed, apostolus*
الله مما امر به	*Dei. Iussu*
الامام المامون	*Imami Mamuni.*
الفضل	*Fadlus.*

M. ut supra.

Mamu-

Mamunum, iam plures ante annos Choraſanae et Transoxanae a patre praefectum, tandem anno CXCIII eodemque, quo pater obiit, provinciae ſibi demandatae curam ſuſcepiſſe, eamque poſtea, regnante Amino fratre, ut ſupremum arbitrum obtinuiſſe, omnibusque defendiſſe viribus et Marvam ſedem ſuam contuliſſe, intelligimus e relationibus Abulfedae aliorumque hiſtoricorum. In hoc tempus incidit hic numus, a praecedentibus Mamuni non parum diverſus.

Samarcandae excuſus eſt. Metropolis haec erat Transoxanae, habitationi principis deſtinata, arce, muris, portis ferreis munita, urbs amoenitate et elegantiore proſpectu nulli ſecunda, prope quam Tempe illud Aſiae, vallis Sogdiana, (سغد سمرقند appellant) ſitum erat. Maracanda veterum eſſe putat Golius,[34] quae Sogdianorum regiam vocat Arrianus ſub finem lib. III. de Alexandri expeditione. Tamerlanus, urbis ſitu et munimentis allectus, regni ſedem in ea fixit.

Imam in hoc numo audit Mamunus, neglectis illis titulis, quibus in ſuperioribus gaudebat, filii principis fidelium et cohaeredis regni. Cohaeres regni enim non amplius erat, ſed mortuo patre, Amino regnante, ex teſtamento haeres regni conſtitutus. Quare alterum quoque filii principis fidelium titulum omiſerit, mox videbimus. Praemonenda ſunt pauca de titulo Imami. In genere امام Imam Arabibus eſt ille, qui aliis aliqua re praeit, qua illum ſequuntur et imitantur, vel qui eadem re excellit. Ita de Abu-Zacaria, grammatico Cufenſi, dicit Abulfeda ad annum CCVII [editionis noſtrae T. II. p. 142] كان في ذلك اماما „in hoc litterarum genere Imamus fuit," h. e. reliquis praeivit et antecellit; de Abu-Saido Aſmaaeo كان اماما في الاخبار والنوادر واللغة „Imamus fuit in peritia hiſtoriarum, facete dictorum et omnis humanitatis," h. e. nemo illis eum

34) Golius in notis in Alferganum pag. 171. ubi ex Iacutio fuſius urbem deſcribit.

eum aequavit [ibid. p. 154]; de Abu-Otmano Mazenita كان الامام في العربية „Imam vel princeps fuit in Arabiſmi peritia„ [ibid. p. 206]; de Abu'l-Caſemo Zagago كان امام وقته „grammaticorum aetate ſua fuit Imam et anteſignanus„ et centena alia. Deinde eſt Imam κατ' ἐξοχην, qui praeit populo ritus ſacros, quod Muhammedis fuerat et ſucceſſorum, unde Chalifae hunc titulum aſſumſerant. Eundem honoris titulum ſibi arrogabat Mamun, ex quo Choraſanae praeſidens fratri Amino Chalifatum eripere tentabat. Cui rei lucem affert Abulfeda in annalibus Muſlemicis [ed. Hafn. II. p. 100. 101.] „Mamun autem, inquiens, clade exercitus Amini (qui e provincia ſua „eum exigere et iure ſuccedendi privare volebat) caedeque „Mahanidae (ducis Amini) accepta, edicto ſanciebat, in poſterum ſe tam in precibus publicis,[35] quam privatis alloquiis „titulo principis fidelium compellari.„ Et Hamza Iſpahanenſis his verbis: كان المامون ايام ابيه الرشيد واخيه الامين يسمي الامام ان كان ولي عهد الي ان واقع طاهر بن الحسن صاحب جيش اخيه علي بن عيسي بن ماهان فقتله ، فتحين ورد علي المامون خبر قتله تسمي امير المومنين ، „Mamunus, regnante adhuc patre Raſchido et deinde fratre „Amino, cum haeres regni eſſet, appellabatur Imam, ſed „poſtquam Taher fil. Haſani, dux exercitus eius, ducem fratris, Ali filium Iſae filii Mahani, debellaſſet, eiusque victo„riae nuntium ad Mamunum perveniſſet, titulum principis „fidelium accepit.„ Rectius autem Elmacinus in hiſtoria Saracenica

35) Chotba arabice appellantur hae preces publicae, de quibus in Muſeo Cufico Borgiano, Romae edito, pag. 68 adn. 88. Conf. Abulfedae annales T. I. p. 720 adn. 230. Ceterum ille mos recitando alicuius nomine in publicis precibus, vel per ſacras caerimonias, coram coetu, alicuius auctoritatem in ſe agnoſcere, eſt admodum antiquus, et apud Graecos iam ipſos illos veteres obtinuit. Conf. inſignis Livii locus l. XXXII. 25. „Mos erat„ rel.

racenica pag. 125. Mamunum titulum Imami tum demum sibi arrogasse dicit, cum Amino fratri negasset obsequium et ad Chalifatum adspirasset. Imami enim titulus aeque ac alter principis fidelium solis Chalifis tribuebatur, licet in monumentis publicis posteriore uti maluerint, et non solum ex antecedentibus Mamuni numis apparet, illum regnante patre Imamum se salutari noluisse, sed in sequente etiam numo XXI, aliquot annis post nostrum edito, utroque simul titulo Imami et principis fidelium gaudet. Porro memoria digna sunt, quae eodem loco narrat Elmacinus de modo, quo Mamun fratri ius maiestatis ademerit. Primum, ait قطع عنه البريد *abscindebat ab eo Barid* seu augustum veredum h. e. vetabat, ne publicus cursus Bagdado ad se in Chorasanam, aut vicissim hinc illud commearet. Regale enim erat veredum vel cursus publicus, quemadmodum neque apud Romanos, neque apud Graecos aevi medii (a quibus forte morem illum acceptum Muhammedani imitati sunt, nisi potius veterum Persicorum regum exemplum secuti fuerint) privato licebat cursu publico uti. Deinde اسقط اسمه من دار الضرب والطراز *abolevit nomen eius e domo percussionis* h. e. e moneta, vetabatque nomen eius porro numis incudi, *et e domo acupicturae*, vel officina acupictorum. Habebant nempe, ut Imperatores olim Romani suas privatas officinas purpurae texendae et pingendae, ita quoque principes orientales officinas, in quibus sibi, aulicis, exercitibusque suis telae, tam ad vestitus, quam pro vexillis militaribus texerentur; quibus pannis nomen principum aut statim a principio intexebatur, aut acu et filo aureo inserebatur deinceps. Sed redeamus ad propositum nostrum. Mamun itaque in hoc numo, non, ut olim, filius principis fidelium, neque cohaeres regni audit, sed Imamus, quia Chalifa iam hoc tempore a suis salutari volebat.

Quis sit ille Fadlus, qui nomen suum principis titulo subscripsit, ex eadem Abulfedae relatione, quam supra laudavi-

mus, patet. Addit enim l. c. „ſimulque declarabat Fadlum fil. „Sahli ſummum rectorem omnium Iraca ulteriorum regionum, „quae uno comprehenduntur orientis nomine, et a montibus „Holvanicis inde usque ad regnum Tibet in longum, in la„tum a mari Perſico ad Dailomitidem et Georgianam porri„guntur.„ Hic Fadlus ignicola antea fuerat, ſed a. CXC coram Mamuno fidem Muſlemicam profeſſus erat, [Abulfeda l. c. pag. 91.] et magnis ſubitisque deinde cumulabatur honoribus [ibid. pag. 101.]

Brevibus: excuſus eſt numus noſter iuſſu Mamuni, Choraſanae et Transoxanae principis, auſpiciis Veziri eius et harum provinciarum gubernatoris conſtituti, Fadli Sahli filii, in urbe Samarcanda, eodem anno, quo obſequium Chalifae Amino negaverat Mamun. Ceterum ex eodem numo intelligimus, Mamunum non demum anno CXCVI poſt victoriam ab Amini exercitu reportatam, ut volunt hiſtorici, ſed anno iam antecedente CXCV, quo belli inter fratres oriundi ſemina ſpargebat Amini inſolentia [Abulfeda l. c. p. 97.] Chalifae titulos atque honores ſibi vindicaſſe. Neque antea. Kehrius enim eiusdem Mamuni numum habet de anno CXCIV,[36] Tychſenius Gottingenſis alium a. CXCV,[37] in quibus cohaeres regni adhuc appellatur.

XX. A.

Numus argenteus Mamuni, Raſchidi filii, Choraſanae et Transoxanae principis, a. CXCVI, Chr. 811. ined.

I. A. ut ſupra.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة نيسابور سنة ست وتسعين ومية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma in urbe Niſabur anno CXCVI.* h. e. aerae vulgaris 811.

II. A.

36) Geo. Iac. Kehr monarchiae Aſiatico-Saracenicae ſtatus e numis, Tab. II. N. XVII.

37) Th. Chr. Tychſen commentationes de numis orientalibus. Tab. I. N. VIII.

لله *Deo.*

II. A. محمد *Muhammed*

رسول *eſt apoſtolus*

الله *Dei.*

الفضل *Fadlus.*

M. ut ſupra.

Obſervatione dignum videtur, nomen principis in hoc numo non legi: quem tamen ad Mamunum referendum eſſe non dubito, tum quod Choraſana, ubi excuſus eſt, hoc tempore Mamuni fuit ſubiecta, tum quoque quod nomen Fadli, amici et Veziri Mamuni, quem ſupra laudavimus, in eo, ut in ſuperiore numo, exhibetur. Maiore forte auctoritate polluit hic Fadlus in Choraſana, quam in Transoxana, cum Choraſanicam hanc pecuniam ſuo tantum nomine ſignaverit.

Niſabur, vel iuxta alios Naiſapur, vel Naiſchapur, metropolis erat atque regia totius Choraſanae, condita, ut fama fert, a Sapore, filio Ardeſchir Babecan, Perſarum rege, urbs propter abundantiam omnium proventus et commodi generum, mercatorumque confluentiam celebrata. In poteſtatem Arabum venit anno fugae XXXI, Otmano Chalifatum tenente, duce Abdalla, Ameri filio.[38] Mamun autem in oppido Marv-el-rud مرو الروذ ſedem ſuam figere maluit, ubi tamen monetam non habuiſſe videtur: et in genere plerosque Arabum numos non in ſede regia, ſed aliis in urbibus excuſos animadvertimus.

XXI. A.

Numus argenteus Mamuni, Raſchidi filii, Choraſanae et Transoxanae principis, a. CXCVIII, Chr. 736. ined.

I. A. ut ſupra.

38) Golii notae ad Alferganum p. 188. 189. Extraits des manuſcrits de la bibliotheque du Roi T. II. p. 500.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة سمرقند سنة ثمان وتسعين ومية *In nomine Dei cusa est haec drachma in urbe Samarcand anno CXCVIII*, h. e. aerae nostrae 736.

II. A.	لله وبه	*Deo et per eum*
	محمد رسول الله	*Muhammed apostolus Dei.*
	مما امر به الامان	*Iussu Imami*
	المامون امير المومنين	*Mamuni, principis fidelium,*
	الفضل	*Fadlus.*

M. ut supra.

Vtrumque titulum in hoc numo coniunxit Mamun, Imami et principis fidelium, de quibus ad numum XIX disseruimus. Fadli nomen subiicitur, nimirum Fadli filii Sahli, gubernatoris provinciae, quem ad eundem numum laudavimus. Excusus quoque est noster, ut ille, in metropoli Transoxanae, Samarcanda; et quidem anno CXCVIII.

Hoc anno Bagdad expugnata fuit a Tahero, duce exercitus Mamuni, et, Amino Chalifa interfecto, primum vota publica e cathedra templorum facta sunt Mamuno. Novus tamen Chalifa manere adhuc maluit in Chorasana, e qua peramata provincia non excessit ante annum CCII, quo, Ibrahimo quodam, Mahdii filio, publice Bagdadi Chalifa proclamato, nimis in discrimine versari suas res per absentiam suam animadverterat. [39]

Tantum de numis a filiis Raschidi, antequam Chalifatum tenebant, excusis. Praestantissima omnino numorum series, quae historiae non parum lucis affert! Supersest unus Mamuni, paullo post antecedentem, auspiciis Veziri eius excusus.

XXII.

39) Abulfedae annales, ed. Hafn. T. II. p. 117.

XXII. A.

Numus argenteus Mamuni Chalifae,
a. CCI. Chr. 816.

Convenit cum numo Reiskiano anni CC, de quo in repertorio biblico et orientali Eichhorniano T. XVII. p. 268.

I. A. ut ſupra.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالمحمدية سنة احدي ومايتين *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Muhammediae anno CCI,* Chr. 816.

II. A.

لله	*Deo.*
محمد	*Muhammed*
رسـول	*apoſtolus*
الـلـه	*Dei.*
ذى الرياستين	*Du'l-Riaſatain.*

M. ut ſupra.

Illuſtrat hunc numum Abulfeda in annalibus Muſlemicis T. II. p. 101. „Mamun, inquit, poſt caedem exercitus Amini, declarabat Fadlum, filium Sahli, ſummum rectorem omnium Iraca ulteriorum regionum — eumque ſimul titulo Du'l-Riaſatain, ſeu praeſidis utriusque regiminis ornabat, ut in cuius ditione tam res militares, quam civiles eſſent.„ Multa quoque narrat Elmacinus de auctoritate et potentia huius viri in aula Mamuni. E quibus intelligimus, quomodo factum, ut hic, Chalifae titulo omiſſo, ſuo tantum nomine ſignare pecuniam potuerit.

Sed dubium de loco, ubi excuſus eſt numus, nobis ſuboritur. Litterarum ductus non facile aliud dabunt nomen, quam Muhammediae, et tamen, ſi quidem, ut ſupra propoſuimus, prope ipſam auguſtam urbem quaerendus ſit hic locus, obſtat, quo minus ibi excuſus ſit, quod Mamun aeque ac Fadlus hoc tem-

tempore in Chorasana adhuc degerint, imo Fadlus Bagdadum reversus non fuerit, in ipso itinere Bagdadense occisus anno CCII. Vtrum Muhammedia urbs Chorasanica fuerit, nobis ignota? an aliud nomen sub his litterarum elementis lateat? an absente utroque, Chalifa et Veziro eius, numus Bagdadi in honorem posterioris excusus sit? diiudicent eruditi. Nobis quidem, quod ultimo loco proposuimus, verisimilius videtur.

Denique neque hoc praetereundum, Mamuni, quos hactenus recensuimus, numos nitidissimis Arabum numis non cedere. Sed egregius quoque eruditorum artificumque fautor fuit Mamunus, inter maximos princeps (verba sunt Io. Gravii in praefatione ad Abulfedae Chorasmiae et Mavaralnahrae h. e. Chorasanae et Transoxanae, descriptionem) ob doctrinam et insignem in viros eruditos munificentiam iure celebrandus, qui accersitis undique hominibus eruditione illustribus, et eruditis e Graecorum bibliothecis libris praestantissimis, iisque in Arabicam linguam traductis, brevi bonas artes apud Arabes, prius armis magis quam litteris addictos, ad summum fastigium perduxit.





EX-

EXCVRSVS I.

HISTORIA CERTAMINIS ET BELLI INTER AMINVM ET MAMVNVM,

ex Soiutio.

Toties in numis noſtris illuſtrandis diſſidii et certaminis, quod inter Aminum et Mamunum ortum fuerat, illumque tandem praecipitavit, meminimus, ut non inutile neque iniucundum erit, pleniorum huius contentionis hiſtoriam verbis Soiutii in hiſtoria Chalifarum [40] enarrare, quem prae ceteris hiſtoricis elegimus, quod non modo illis accuratius et diligentius res geſtas tradat, ſed quoque ineditus ſit, et noſtratibus innoteſcere mereatur. Sic itaque narrat ille in vita Amini:

في سنة اربع وتسعين عزل اخاه القاسم عما كان الرشيد ولاه ووقعت الوحشة بينه وبين اخيه المامون فقيل ان الفضل بن الربيع علم ان الخلافة اذا افضت الي المامون لم يبق عليه فاغري الامين به وحثه علي خلعه وان يولي العهد لابنه موسي ولما بلغ المامون عزل اخيه القاسم قطع البريدية عن الامين واسقط اسمه من الخطبة والضرب ثم ان الامين ارسل اليه يطلب منه ان يقدم موسي علي نفسه ويذكر انه قد سماه الناطق بالحق فردّ المامون ذلك واباه وخامر الرسول معه وبايعه بالخلافة سرّا ثم كان يكتب اليه بالاخبار ويناصحه من العراق

40) Titulus libri: — كتاب تاريخ الخلفا تصنيف الشيخ جلال الدين ابي الفضل عبد الرحمن السيوطي Inter libros arab. manu ſcriptos bibl. Regiae Hafnienſis, Quart. N. 22.

العراق ولما رجع واخبر الامين بامتناع المامون اسقط اسمه من
ولاية العهد وطلب [41] الكتاب الذي كتبه الرشيد وجعله بالكعبة
فاحضروه ومزقه وقويت الوحشة ونصح الامين اولوا الرّاي وقال له
حازم بن خريمة يا امير المومنين لن ينصحك من كذبك ولن
يغشك من صدقك لا تجري الغواد علي الخلع فيخلعوك ولا
تحملهم علي نكث العهد فينكثوا بيعتك وعهدك فان الغادر
معلوك [42] والناكث مخذول فلم ينتصح واخذ يستميل الغواد
بالعطا وبايع بولاية العهد لابنه موسي ولقبه الناطق بالحق
وهو ان ذاك طفل رضيع ولما تيقّن المامون خلعه تسمّي بامام
المومنين [43] وكوتب بذلك وولي الامين علي بن عيسي بن ماهان
بلاد الجبال همذان ونهاوند وقم واصبهان في سنة خمس وتسعين
فخرج علي بن عيسي من بغداد في نصف جماد الاخرة ومعه
الجيش لقتال المامون اربعين الفا في هيأة لم ير مثلها واخذ
معه قيد فضة ليقيد به المامون بزعمه فارسل المامون لقتاله
طاهر بن الحسين في اقل من اربعة الاف فكانت الغلبة له
وذبح علي وهزم جيشه وحملت راسه الي المامون فطيف بها
في خراسان وسلّم علي المامون بالخلافة وجا الخبر الي الامين
وهو يتصيّد السمك فقال للذي اخبر ويلك دعيني فان كوثر
قد صاد سمكتين وانا ما صدت شيأ بعد وقال عبد الله بن
صالح الحرمي لما قتل علي رجف الناس ببغداد رجفا شديدا
وندم

41) Legendum videtur فطلب

42) Legi الغادر معلول

43) Legendum بامام امير المومنين

وندم الامين علي خلعه اخاه وطمع الامر فيه وشغّبوا جندهم بطلب الارزاق من الامين فاستمرّ القتال بينه وبين اخيه وبقي امر الامين كل يوم في ادبار وامر المامون في ازدياد الي ان بايعه اهل الحرمين واكثر اهل السلاد العراق وفسد الحال علي الامين جدا وتلف امر العسكر ونفدت خزائنه وساء حال الناس بسبب ذلك وعظم الشر وكثر الخراب والهدم من القتال ورمي المجانيق والنفط حتي دمرت محاسن بغداد وعملت فيها المراثي ودام حصار بغداد خمسة عشر شهرا ولحق غالب العباسيين واركان الدولة بالمامون ولم يبق عند الامين من يقاتل عنه الا غوغاء بغداد والحرافشه الي ان استهلّت سنة ثمان وتسعين فدخل طاهر بن الحسين بغداد بالسيف قسرا فخرج الامين بامه واهله من القصر الي مدينة المنصور وتفرقت عامة جنده وغلمانه وقل عليهم القوت والماء ، قال محمد بن راشد اخبرني ابراهيم بن المهدي انه كان مع الامين بمدينة المنصور قال فطلبني ليلة فاتيت فقال ما تري طيب هذه الليلة وحسن القمر وصورته في الماء فهل لك في الشراب قلت شانك فشربنا ثم دعا بجارية اسمها ضعف فتطيّرت من اسمها فامرها ان تغني فغني بشعر النابغة الجعدي

كليب لعمري كان اكثر ناصرا ، وايسر ذنبا منك ضرج بالدم ،

فتطيّر بذلك * * [44] وقال لها قومي لعنك الله اما تعرفين فقامت فتعست في قدح بلور له قيمة فكسرته فقال ويحك يا

44) Sequuntur in codice alii nonnulli versiculi, quos puella illa cecinisse dicitur, eiusdem fere argumenti.

يا ابراهيم اما ترى والله ما اظن امري الا قريبا فغلت بل يطيل
الله عمرك ويعز ملكك ثم قسمت صوتا من دجلة قضي الامر
الذي فيه تستفتيان فوثب محمد مغتمّا وقتل بعد ليلة
او ليلتين اخذ وحبس في موضع ثم ادخل عليه قوم من
العلج ليلا فضربوه بالسيف ثم ذبحوه من قفاه ونهبوا
براسه الي طاهر فنصبها علي حايط بستان ونودي
هذا راس المخلوع محمد وجرت جثته بذيل
ثم بعث طاهر بالراس والبرد والقضيب الي المامون ،

„Anno (centeſimo) nonageſimo quarto amovit Amin Caſemum (fratrem) ab ea, cui pater Raſchid illum praefecerat, provincia (Aderbigana puta et Diarbekro), unde inteſtinum inter fratres Aminum et Mamunum bellum conflatum. Alii tamen volunt, Fadlum, Rabii filium, (amicum quondam et Vezirum Raſchidi, nunc Amini,) metu, ne Mamun, ſi Chalifa agnoſceretur, ipſum auctoritate exueret, incitaſſe Aminum ad Mamunum ipſum removendum (a iure ſucceſſionis), et eius loco filium Muſam regni haeredem conſtituendum. Mamun autem, ex quo intellexit, fratrem eius munere deieciſſe Caſemum, veredorum commercium inter ſemetipſum, et Chalifam abſcidit, eiusque nomen omitti porro iuſſit (per Choraſanam, ſuam provinciam,) tum in precibus publicis, tum in titulis numorum. Quibus cognitis Amin eum rogatum miſit, vellet Muſae primatum atque ius ſuccedendi concedere,[45] quem ut futurum Chalifam titulo Natek bilhak [ſeu loquentis ex divina inſpiratione[46]] iam

45) Volebat igitur Amin, ut Muſa ſibi, huic demum Mamun ſuccederet, qua ratione Mamun manſiſſet, quod patre regnante fuerat, ولي ولي العهد cohaeres regni, ut in numis appellatur.

46) Vid. Abulfedae annales T. II. p. 99. adn.*

iam ornaſſet. Quod factum cum reprobaret Mamun, petitumque Chalifae detrectaret, abſcondidit ſe apud ipſum nuntius (metu redeundi) eique clam ſacramentum, ut Chalifae, dixit, et poſtea reverſus de rebus Bagdadenſibus certiorem illum fecit eique bona conſilia impertivit. Is itaque redux Amino reſponſum fratris refert, nolle alii ius ſuum ſucceſſionis cedere: quo offenſus Chalifa poſtulat teſtamentum illud a Raſchido conſcriptum et Caabae appenſum,[47] et adeptum dilacerat. Creſcit exacerbatio et mutua invidia. Amini amici interea ſententiam ſuuam declarant, ſed Haſem Haſimae [leg. Hartamae] filius: „o princeps fidelium, inquit, non bona ſuadebit, qui falſa tibi renunciat; neque decipiet te, qui vera tibi tradit. Noli, ſi me audis, proceres ad removendum alium conſtituere, mox enim te quoque removebunt; neque officium iis imponas diſſolvendi teſtamentum regium, in poſterum enim tibi quoque obſequium ex teſtamento debitum negabunt. Iam imperator debilitate eſt affectus, et diſſolvens (pactum) ope deſtitutus!„ Sed non placuit Amino hoc conſilium: verum magnates muneribus ſibi conciliavit, ut publice ſacramentum dicerent Muſae, eumque cum titulo Natek bilhac, regni haeredem proclamarent. Hic tunc puer lactens adhuc erat. Mamun autem, cum ex his omnibus certo cognoviſſet, ſibi ſpem ſuccedendi a fratre ereptam eſſe, ſua auctoritate titulum Imami, principis fidelium, [h. e. Chalifae] ſibi vindicavit, eoque in litteris uti incepit. Interim Amin Alium, filium Iſae, filii

47) Hoc teſtamento ſucceſſorem poſt Aminum conſtituerat Raſchid Mamunum. Vid. Abulfedae annales T. II. p. 95 infra. „Chalifatum teſtamento legabat Amino, filio; cui ſucceſſorem futurum ſubiecerat alterum filium, Mamunum, quae conſtitutio ut ſanctior haberetur, eo voluerat efficere, quod tabulas in Caaba depoſuit.„ Conf. d'Herbelot bibliotheque orientale, titulo Haroun al-Raſchid.

Mahani praefecerat regioni montanae, Hamdanae, Nahavendae, Commae et Iſpahanae, anno CXCV. Quo novo munere ornatus exiit Ali Bagdado medio ſexto menſe eiusdem anni, cum exercitu quadraginta millium hominum ſpecioſiſſimorum, qui umquam viſi ſunt, ad bellum Mamuno inferendum, compedes argenteos ſecum portans, quibus hoſtem conſtringeret. Huic Mamun oppoſuit Taherum, Hoſaini filium, cum quatuor ne quidem millibus, qui tam inſignem de numeroſo illo exercitu victoriam reportarunt, ut fuſis fugatisque militibus ipſe dux, Ali, caderet, eiusque caput ad Mamunum delatum per Choraſanam circumferretur, Mamun autem nunc publice Chalifa ſalutaretur. Infelix rei exitus ad Aminum referebatur eodem momento, quo piſcaretur, qui turbatus nuntium interpellit, Vae tibi, clamans, quantum me turbas! Cautar[48] iam duo piſces cepit, ego nullum! Narrat Abdalla, filius Salehi, Hurramita, poſt caedem Alii illius magnas inter Bagdadenſes turbas ortas eſſe, Aminum remotionem fratris doluiſſe, magnates aſpiraſſe ad regnum, militesque ad ſtipendium ab Amino flagi-

48) Cautar nomen fuit uni puellarum, quae ubique comitabantur libidinoſum principem. Solebat inter alios ludos piſcaturam cum puellis exercere, et cum iis certare, qui plures et pretioſiores caperet piſces. In os piſcium enim antea immittebantur uniones magni pretii, qui eius ſemper eſſent, qui piſcem captaret. Ita narrat Abu'l-Abbas Ahmed Damaſcenus in hiſtoria univerſali, cuius verba ſunt: فبلغ الخبر الي الامين وهو في جنب حوض ماء مع جواريه يتصيد السمك وكان وضع في انف كل سمكة درة نفيسة شبكها بقضيب الذهب وكل من صارت من جواريه سمكة كانت الدرة لها فرفع الامين راسه فقال للذي اخبره ويلك دعني فان الجارية فلانة صادت سمكتين وانا ما صدت شيء ،

flagitandum incitasse. Continuatur interea bellum inter fratres, quo res quidem Amini indies in deterius ruebant, Mamuni autem magis magisque confirmabantur. Huic sacramentum dicitur ab utraque sacra urbe [Mecca et Medina], plurimisque Iracae urbibus: ille, corrupto exercitu, exhaustis thesauris, fastiditur a subditis. Tanta in regia est calamitas atque vastatio, quanta in media pugna solet esse, saxa iaciuntur e machinis bellicis, evanescunt amoenissima Bagdadi, et epicediis deflentur. Obsidione quindecim mensium vexatur urbs. Validissimi Abbasidarum proceresque regni transeunt ad partes Mamuni, nemine Amino, qui eum defenderet, relicto, nisi infimae plebis confusa turba. Tandem ineunte anno XCVIII [CXCVIII] Taher, Hoseini filius, vi et gladio ingressum sibi Bagdadi aperit, Amin autem cum matre et famulitio, relicto castello, se recipit in urbem Mansuri [partem Bagdadi], sociisque satellitibusque eius ob penuriam cibi et aquae dispersis. Narrat Muhammed, Raschidi filius, ex ore Ibrahimi, filii Mahdii, qui cum Amino fuit in urbe Mansuri: „Amin nocte aliqua me accersitum interrogavit: videsne, quam amoena sit nox? quam pulchra luna? quam suavis eius in aqua impressa figura? placetne potare? Vt tibi videtur, respondi. Bibimus uterque. Tum ille puellam advocavit, nomine Daaf, quae mala ei ominata est ex nomine suo, deinde cantari iussa incoepit carmen Nabegae Gadensis:

Agmen canum contra vitam meam conspirarunt, quorum cauda cruentata est sanguine.[49] rel.

Colaib, ita vivam, etiamsi multo plures habuisset defensores, et leviora peccasset, quam tu, sanguine tamen perfusus fuit. Sed

49) Arabica non intelligo: sensum, quem verbis inesse puto, latine expressi. conf. Abulfedae annales T. IV. pag. 698.

Sed mala ex iſtis auſpicatus eſt Mamun, et, Surge, clamavit, ſcelerata! itane ludibrio nos habes? Surrexit illa, et immiſſum in poculum beryllum magni pretii confregit. Tum ille, Vae nobis, o Ibrahim, videsne haec omnia? timere iam incipio — —. Noli timere, reſpondi, Deus prolonget vitam et confirmet regnum tuum! Simulque audivi vocem e Tigride provenientem: conſummatum eſt imperium, quod praedae inſtar conſecutus fuiſti! Quibus auditis anxius exſiliit Aminus. „ Periit miſer poſt unam aut duas noctes, captus et vinculis conſtrictus in aliquo loco, quo Perſae quidam nocte immiſſi enſe eum trucidarunt. Caput eius ad Taherum allatum, qui muro horti illud affixit et a praecone exclamari iuſſit: hoc eſt caput repudiati Muhammedis! [Muhammed nomen erat Amino] cadaver autem ab equis circumtrahi. Quo facto caput una cum regni inſignibus, veſte, baculo, ad Mamunum, novum Chalifam, miſit. „



Novam

Novam classem numorum Chalifarum formant numi tres, quos mox interpretabimur. Differunt hi a ceteris eo, quod non solum versiculo illi Corani, qui alias in margine, vel circulo adversae partis legitur, alium, in circulo exteriore exaratum, addant, ideoque duas in margine exhibeant inscriptiones, sed titulo quoque Chalifae nomen principis filii subiungant. In honorem filiorum Chalifarum, postquam a patre regni haeredes et futuri successores constituti essent, excusi videntur.

XXIII. B.

Numus argenteus Mutavakkeli eiusque filii Abu-Abdalla, a. CCXXXVII. Chr. 851. ined.

I. A.

لا اله الا	*Non est Deus nisi*
الله وحده	*Deus unicus,*
لا شريك له	*socii expers.*
ابو عبد الله	*Abu-Abdalla.*

In margine interiore: بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة سبع وثلثين ومايتين *In nomine Dei cusa est haec drachma in urbe pacis* [Bagdad] *anno CCXXXVII,* aerae vulgaris 851.

In margine exteriore: ... لله الامر من قبل ومن بعد ويومئذ Reliqua desunt. Est versiculus Corani, qui in tertio horum numorum clarius legitur.

II. A.

لله	*Deo.*
محمد	*Muhammed*
رسول	*est apostolus*
الله	*Dei.*
المتوكل على الله	*Motavakkel ala allah.*

M. ut supra: *Muhammed est apostolus Dei, quem cum vera religione misit* rel.

Motavakkel ala allah, non itaque, ut ab Abulfeda nominatur, Motavakkel lillah, Chalifarum Abbasidarum decimus, regnavit annos fere quindecim, ab anno inde CCXXXII ad CCXLVII. Regnum inter tres filios distribuit, quorum maiori Mustansiro billah, vel secundum Abulfedam Montasero billah, ius successionis in Chalifatum, et praeterea Africam; secundo Motazzo billah Chorasanam; tertio Muvaiedo billah Damascum aliasque provincias assignavit. Secundus, vero nomine Abu-Abdalla, idem est, cuius in honorem numus noster editus fuit; idemque, qui anno CCLII Chalifa salutatus et titulo illo Motazzi billah h. e. corroborantis se Deo, condecoratus est. Historiam numi egregie illustrat Elmacinus in historia Saracenica pag. 149: „anno CCXL, inquit, assignavit Chalifa eidem Mutazzo quoque aeraria omnium provinciarum, et officinas monetarias, iussitque nomen eius in numis excudi.„ En huiusmodi numus, e quo tamen patet, hunc principem iam ante annum CCXL rei monetariae a patre praefectum, honoribusque illis ornatum fuisse.

Iuvat adhuc animadvertere, hunc numum a sequentibus huius generis omnibus quodammodo differre eo, quod solum nomen principis iuvenis exhibeat, omisso illo titulo, qui in ceteris additur بن امير المومنين filii principis fidelium.

XXIV. A.

Numus argenteus Mostaïni Chalifae eiusque filii Abbasi, a. CCL. Chr. 864. ined.

I. A.	لا اله الا	*Non est Deus, nisi*
	الله وحده	*Deus unicus,*
	لا شريك له	*socii expers.*
	العباس بن	*Abbas filius*
	امير المومنين	*principis fidel.*

In

In margine interiore: بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة خمسين ومايتين *In nomine Dei cusa est haec drachma in urbe pacis* [Bagdad] *anno CCL*, h. e. 864.

In margine exteriore, ut supra: لله الامر من قبل Cetera desunt.

II. A.

لله	*Deo.*
محمد	*Muhammed*
رسل	*est legatus*
الله	*Dei.*
المستعين بالله	*Mostaïn billah.*

M. ut supra: *Muhammed est apostolus Dei, quem cum vera religione misit* rel.

Mostaïn billah, Chalifarum Abbasidarum duodecimus, in locum Montaseri suffectus anno CCXLVIII, imperio exutus fuit anno CCLI. Filium eius Abbasum historiographi quidem non laudant: sed patet e cognomine, quod et Abulfeda et Elmacinus Mostaino tribuunt, Abu'l-Abbasi, h. e. patris Abbasi, fuisse ei filium huius nominis; et Abulfeda diserte de eo dicit [Ed. Hafn. II. p. 208] ويكني ابا العباس „cognominatus fuit pater Abbasi. „

XXV. A.

Numus argenteus Radii Chalifae eiusque filii Abu'l-Fadli, a. CCCXXVII, Chr. 938.

I. A.

لا اله الا	*Non est Deus, nisi*
الله وحده	*Deus unicus,*
لا شريك له	*cui socius non est.*
ابو الفضل بن	*Abu'l-Fadl, filius*
امير المومنين	*principis fidelium.*

In margine interiore: بسم الله ضرب هذا الدرهم بمدينة السلام سنة سبع وعشرين وثلثماية *In nomine Dei cusa est haec drachma in urbe pacis* [Bagdad] *anno CCCXXVII,* aerae vulg. 938.

In margine exteriore: لله الامر من قبل ومن بعد ويومئذ يفرح المومنين بنصر الله „Deo est imperium olim et in futurum, iam laetentur fideles auxilio divino„ Sura XXX. 4. 5.

II. A.

لله	*Deo.*
محمد	*Muhammed*
رسول	*est apostolus*
الله	*Dei.*
الراضي بالله	*Radi billah.*

M. ut in antecedente numo.

Abu'l-Abbas Ahmed, cognomine Radi billah, h. e. acquiescentis in divina voluntate, Chalifarum Abbasicae gentis ordine vigesimus, regnum adiit anno CCCXXII, obiit anno CCCXXIX. Abu'l-Fadlum autem filium fuisse Chalifae, tum e titulo filii principis fidelium, quo in numo gaudet, tum e convenientia et similitudine, quae inter hunc numum et proxime antecedentem intercedit, coniiciebam, licet apud Abulfedam, Abulfaragium, Elmacinum eius memoriam nullam reperirem. Egregie nunc confirmatam video hanc sententiam a Soiutio in historia Chalifarum, libro manu scripto supra laudato, ubi in vita Radii: وفي سنة ثلاث وعشرين تمكن الراضي بالله وقلد ابنيه ابا الفضل وابا جعفر المشرق والمغرب „Anno vigesimo tertio, inquit, regni socios adscivit (Radius) filios suos Abu'l-Fadlum et Abu-Gafarum, quorum illum orienti, hunc occidenti praeposuit.„ Ab orientalium igitur gubernatore provinciarum, ad quas Bagdad pertinet, editus est numus noster.

Hunc numum iam laudavit e schedis Reiskianis cl. Eichhorn in repertorio orientali T. XVIII. pag. 3. sed temere loco Abu'l-

Abu'l-Fadli, quod clare legitur in noſtro, ſubſtituit Reiskius nomen Chalifae, Abu'l-Abbas. Putavit enim vir cl. illa nomina, quae in adverſa numorum parte reperiuntur, nomina eſſe Chalifarum, cum eorum titulo vel cognomine, in averſa exarato, coniunctim legenda.

Alios huius generis numos exhibent Reiskius et Tychſenius Gottingenſis, quorum indicem ordine chronologico dabimus.

A. CCCXIX. Numus Moctaderi billah Chalifae, eiusque filii Abu'l-Abbaſi, cuſus Bagdadi. Reiske in repertorio orient. T. XVIII. 2. Hunc Abu'l-Abbaſum patri ſucceſſorem dare volebat Munas, ſed cum alii intercederent, eum puerum adhuc eſſe cauſſati, novus Chalifa renunciabatur occiſi frater, Caher. Hoc autem interfecto a. CCCXXII, ille e carcere protractus in ſolio vacuefacto collocatus et Chalifa, cum cognomine Radi billah, ſalutatus fuit. Abulfedae annales II. p. 367. 383.

A. CCCXXI. Caher billah, eiusque filii Abu'l-Caſemi, Bagdadi. Tychſen in commentatione I. de numis orientalibus pag. 20. et comm. III. p. 54.

A. CCCXXX. Mottaki lillah, et filii eius Abu-Manſuri, Bagdadi et Mauſelae. Reiske in repertor. orient. T. X. p. 228 ſqq. T. XVIII. 7. 8.

A. CCCXXXI. Mottaki lillah et filii Abu-Manſuri, Bagdadi. Tychſen in comment. I. pag. 22.

XXVI. A.

Numus argenteus Moctafii Chalifae, et principis ignoti, a. CCXCI. Chr. 903.

1. A. لا اله الا الله *Non eſt Deus, niſi*
الله وحده *Deus unicus,*
لا شريك له *ſocii expers.*
ولي الدولة *Veli-ed-daula.*

In margine interiore: بسم الله ضرب هذا الدرهم بالكوفة سنة احدى وتسعين ومايتين *In nomine Dei cusa est haec drachma Cufae, anno CCXCI.* aerae vulg. 903.

In margine exteriore idem titulus, ac in numo antec. XXV.

II. A. لله *Deo.*
محمد *Muhammed*
رسول *est apostolus*
الله *Dei.*
المكتفي بالله *Moctafi billah.*

M. ut supra.

Regnavit Moctafi Chalifa annis CCLXXXIX ad CCXCV. Eius tempore magis magisque inclarescere coepit dynastia Hamdanidarum, pluresque provincias Chalifae subditas invadere. Celebrantur inter eorum principes Nasser-ed-daula et Seif-ed-daula fratres, a quibus numos editos fuisse annis 329. 330. 331. perhibet Reiskius, qui recensentur in repertorio biblico et orientali, libro supra laudato, T. XVIII. p. 8. al. Desideratur autem ille Veli-ed-daula [h. e. amicus dynastiae] in serie principum Hamdanidarum, neque probabile videtur, eos Cufam usque, ubi excusus est numus noster, progressos esse: quare de auctore huius numi nihil statuere ausim.

XXVII. B.

Numus aureus ultimi Abbasidarum Chalifae Mostasemi billah, post a. DCXL. Chr. 1242.

I. A. الامام *Imam.*
لا الله الا الله *Non est Deus nisi Deus*
وحده لا شريك له *solus, socii expers.*
المستعصم بالله *Mostasem billah,*
امير المومنين *princeps fidelium.*

Iungenda

Iungenda est prima vox cum nomine Chalifae, vel prima linea cum quinta et sexta, h. m. „Imam [vulgaris Chalifarum titulus] Mostasem billah, princeps fidelium.„

Has lineas cingit, litteris minutissimis exaratus versiculus ille Corani, Sura XXX. 4. 5. nimirum ad latus dextrum legitur:

لله الامر من *Deo est imperium*
قبل ومن بعد *olim et in futurum;*

ad latus sinistrum:

ويومئذ يفرح *iam laetentur*
المؤمنين *fideles*

sub area denique numi

بنصر الله *auxilio divino.*

In margine legitur: . . . . . بسم الله ضرب هذا الدينار وستمائة *In nomine Dei cusus est hic denarius* [nomen, quod aureis numis tribuitur] . . . . . *sexcentesimo* . .

II. A. الحمد لله *Laus Deo!*
محمد *Muhammed est*
رسول الله *apostolus Dei,*
صلي الله عليه *cui propitius sit Deus*
وسلم *et benignus!*

In margine versiculus ille Corani, toties in numis Cuficis celebratus, Muhammed est Dei legatus, quem cum vera religione misit rel. cuius tamen ultima verba ولو كره المشركون ob spatii angustiam, vel potius litterarum grandiorem formam in margine omissa, ad utrumque areae latus reiecta sunt.

Pertinet hic numus ad ultimum Abbasicae gentis Chalifam, qui, post regnum sedecim annorum, anno fugae DCLVI, a Tataris, capta Bagdado, cum omne familia sua occisus fuit. Excusus igitur est inter annos DCXL et DCLVI.

XXVIII.

XXVIII. B.

Numiſma argenteum ſub Moctadero Chalifa excuſum, ined.

Ab utroque latere animal, cuniculo haud abſimile, figura octangula incluſum reperitur, quod ſequens cingit titulus: الامام المقتدر بالله جعفر *Imam Moctader billah Gafar.*

Nomen eſt decimi octavi Chalifarum domus Abbaſicae, qui principatum adiit a. f. CCXCV. interfectus eſt a. CCCXX.

Qua occaſione numiſma hoc editum ſit, difficile eſt indagare. Videant eruditi, an forte narratio Soiutii, in hiſtoria Chalifarum, in his tenebris lucem aliquam accendere queat. En verba eius: وفي سنة اربع وثلثماية وقع الخوف ببغداد من حيوان يقال له الزبزب ذكر الناس انهم يرونه بالليل علي الاسطحة وانه ياكل الاطفال ويقطع ثدي المراءة فكانوا يتحارسون ويضربون بالطاسات ليهرب واتخذ الناس لاطفالهم مكاب ودام عدة ليال „ Anno trecenteſimo quarto animalia, quae vulgo Zabzab dicuntur, perterruerunt Bagdadenſes. Referunt, ea noctu apparuiſſe in tectis, devoraſſe infantes, arroſiſſe ubera mulierum. A quibus quo ſe defenderent, vaſa complosiſſe, liberosque in unum agmen collegiſſe. Duravit haec vexatio per multas noctes. „

En viginti et octo numi Chalifarum Ommiadarum et Abbaſidarum Bagdadenſium, plerique inediti, ſingulares et memorabiles multi. Intelligimus ex iis, Chalifas ab initio fere rei numariae apud Arabes, nomina ſua numis inſcripſiſſe; titulis ſuis interdum filiorum, regni haeredum, nomina addidiſſe; principes quoque, Chalifarum filios, ſuo nomine numos ſignaſſe; Veziros tanta auctoritate apud Chalifas valuiſſe, ut numos, omiſſo adeo nomine principis, ederent; denique, Arabes hoc tempore figuris, niſi in numis, in numiſmatibus tamen, uti iam incoepiſſe. Quantum autem hiſtoriae horum temporum lucis afferant noſtri numi, ex ſingulorum illuſtratione ſatis apparet.

NVMI

NVMI DYNASTIARVM.

DYNASTIA SOFFARIDARVM IN CHORASANA.

Referunt hiſtorici Arabum, Iacobum aliquem, Laiti filium, cognomine Soffar, primum artem fabrilem aerariam exercuiſſe, deinde, officina relicta, furtis et latrociniis ad ſummam poteſtatem viam ſibi aperuiſſe. Segeſtana patria, poſt mortem principis Derhami, occupata, vicinas provincias invaſiſſe, et quidem anno CCLV Kermanam et Perſidem, anno CCLVII Balcham, anno CCLIX Niſaburam, totam denique Choraſanam, in ſuam redegiſſe poteſtatem, eaque ratione, Taheridis pulſis, novam ibi Soffaridarum dynaſtiam fundaſſe. Obſequium tamen Chalifae non denegaſſe, ſed potius et litteris, et muneribus quam ſplendidiſſimis clientem eius profeſſum eſſe.[50] Duo huius dynaſtiae numi, hucusque omnino incogniti, a me aſſervantur, unus a fundatore dynaſtiae, alter a ſucceſſore eius, quo horum principum ſtirps, in Choraſana quidem, exſtincta fuit, excuſus.

XXIX. A.

Numus argenteus Iacobi filii Laiti, fundatoris dynaſtiae Soffaridarum, a. CCLX. Chr. 873. ined.

1. A. لا اله الا الله — *Non eſt Deus, niſi*
الله وحده — *Deus unicus,*
لا شريك له — *ſocii expers.*
يعقوب . . . — *Iacobus . . .*

In

50) Abulfedae annales, ed. Hafn. T. II. pag. 223. 239. 241. 255. coll. Herbeloto in voce Iacob al.

In margine interiore: بسم الله ضرب هذا الدرهم بالنيسابور سنة ستين ومیتین *In nomine Dei cusa est haec drachma Nisaburae anno CCLX*, h. e. aerae nostrae a. 873.

In exteriore margine verba Corani: لله الامر من قبل ومن بعد ویومیذ یفرح المومنین *Deo est imperium, olim et in futurum: iam laetabuntur fideles.*

II. A. لله *Deo.*
محمد *Muhammed*
رسول *apostolus*
الله *est Dei.*
المعتمد علي الله *Motamed ala allah.*

M. ut in antecedentibus.

Motamed, non quidem auctoritate, sed nomine tamen Chalifa fuit ab anno inde CCLVI ad CCLXXIX, cui honorem debitum praestitisse Soffaridam supra animadvertimus. In area numi adversi vestigia nominis Iacobi apparent, primi Soffaridarum in Chorasana principis, qui diem obiit supremum anno CCLXV Gondisaburae in Ahvaza.[51] Nisaburae denique excusus est numus, qua in urbe, Chorasanae metropoli, regiam suam fixit Iacobus, turbatus quidem saepius belloque petitus tum a copiis Chalifae, tum a Taheridis, sed tamen plerumque victor.[52]

XXX. A.

Numus argenteus Amrui filii Laiti, secundi principis Soffaridae, a. CCLXXXIV. Chr. 897.

I. A. لا اله الا الله وحده لا شریک له *Non est Deus, nisi Deus unus, qui socium non habet.*
عمرو بن اللیث *Amru fil. Laiti.*

In

51) Abulfeda l. c. p. 253 et 710.
52) Vid. Herbelot voce Soffar. Conf. Abulfeda l. c. p. 710.

In margine interiore: بسم الله ضرب هذا الدرهم بنيسابور سنة اربع وثمنين ومايتين *In nomine Dei cusa est haec drachma Nisaburae anno CCLXXXIV*, aerae vulg. 897.

Margo exterior ut in numo antecedente.

II. A.	لله	*Deo.*
	محمد	*Muhammed*
	رسول	*apostolus*
	الله	*est Dei.*
	المعتضد بالله	*Motaded billah.*

M. ut supra.

Nomina igitur amborum in antecedente numo laudatorum principum, et Chalifae et Soffaridae, successorum exhibet hic numus, Motadedi et Amrui, quorum ille Chalifa salutatus fuit a. CCLXXIX, obiit a. CCLXXXIX, hic in Chorasana regnavit a morte fratris usque ad annum CCLXXXVII. Chalifae, quam primam ad imperium accedebat, obsequium per litteras promiserat, comitatisque praemium praefecturas Chorasanae, Ispahanae, Segestanae, Sendiae et Kermanae acceperat a Movaffeco, Chalifae tum regnantis Motamedi fratre et per orientem legato, qui rerum summam moderabatur, fratri titulo tantum Chalifae relicto.[53] Confirmatus deinde fuit in hac dignitate a filio huius Movaffeki, cum Chalifatum post patrui mortem cum titulo Motadedi adiret. Partem tamen Chorasanae tantum tenuisse videtur, cum eodem tempore alii Chorasanae praefecti, ut Chaled filius Ahmedis, Sadusita, ab historicis laudentur,[54] vel potius, ut ex Hamzae Ispahanensis relatione intelligo, praefectos hos Chorasanicos, a semet ipso constitutos, sibi subditos atque clientes habuit.[55] Idem Hamza refert, Ahmedem aliquem, Abdallae filium, conflicto apud Nisaburam

 edito,

53) Abulfeda l. c. p. 257. 54) Abulfeda pag. 265.
55) Vid. Notae historicae ad Abulfedam II. p. 710.

edito, Amruum in Segeſtanam aufugere coëgiſſe a. CCLXVI, neque hunc, variis licet ſed fruſtra adhibitis machinationibus, res Choraſanicas ſibi ſoli vindicare potuiſſe, niſi anno demum CCLXXIX, quo ex exilio redux gubernationem Choraſanae et regiam ſedem, Niſaburam, iterum occupaverit. Tenuit eam usque ad annum CCLXXXVII, quo ab Iſmaële, filio Ahmedis, Samanida, Transoxanae domino, debellatus, captus atque ad Motadedum miſſus fuit, qui eum in carcere peremit anno CCLXXXIX.[56] Deſinit itaque caede Amrui Soffaridarum in Choraſana imperium, quod viginti octo tantum annos duravit. Nepos enim Amrui, Taher, qui patruo ſucceſſiſſe dicitur, et in quo tandem diſtincta fuit haec dynaſtia, poſt Choraſanae a Samanidis expugnationem, in Segeſtana tantum regnavit, e qua ab eodem Iſmaële Samanida expulſus, et captivus ad Chalifam Moctafium miſſus fuit anno CCXC vel, ut alii perhibent, CCXCIII.[57]

DYNASTIA SAMANIDARVM IN TRANSOXANA ET CHORASANA.

Initia regni Samanidarum, quod in Transoxana et Choraſana ultra ſaeculum duravit, refert Abulfeda ad annum CCLXI, quo Naſr, filius Ahmedis, ampliſſimae provinciae praefectus nuncupabatur. Pater enim illius, Ahmed, filius Aſadi, filii Samani, poſt Mamuni, Chalifatum adepti, ex his provinciis receſſum, Transoxanae partem gubernandam acceperat, cuius in munia ſucceſſit filius natu maior, Naſrus ille, quem initio nominabamus. Hic fato exſtinctus a. CCLXXIX ſucceſſorem habuit fratrem Iſmaëlem, filium Ahmedis, Bocharae hactenus praefectum. Regnabat hoc tempore in Choraſana Amru, filius Laiti, Soffarida, cuius numum modo recenſuimus; hunc bello petiit

56) Abulfeda l. c. pag. 285.

57) d'Herbelot bibliothéque orientale. Titres: Soffarides. Amrou. Thaher.

petiit Samanida, eoque debellato et capto, Chorasana quoque potiebatur a. CCLXXXVII. Ex hoc tempore utraque provincia, quam olim in potestate habuerat Mamunus, paruit Samanidis, donec a. CCCLXXXIX desiit eorum et gens et imperium, postquam centum et duodetriginta annos duraverat. En series principum huius dynastiae ex Abulfeda.

1. Ismaël fil. Ahmedis, Nasri modo laudati frater, a. 279 ad 295.
2. Ahmed fil. Ismaëlis, a. 295 ad 301.
3. Nasr fil. Ahmedis, a. 301 ad 331.
4. Nuch (Noachus) fil. Nasri, a. 331 ad 343.
5. Abd-al-malek fil. Nuchi, a. 343 ad 350.
6. Manzur fil. Nuchi, antecedentis frater, a. 350 ad 366.
7. Nuch fil. Manzuri, a. 366 ad 387.
8. Manzur fil. Nuchi, a. 387 ad 389.
9. Abd-al-malek fil. Nuchi, praecedentis frater, a. 389, quo Samanidarum provinciae in potestatem Mahmudis fil. Soboktekini, Gaznevidae, transierunt.

Ex florentissima huius dynastiae periodo multi supersunt numi, quorum octodecim hoc loco recensebimus.

XXXI. A.

Numus argenteus Ismaëlis f. Ahmedis, primi Samanidarum principis, a. CCCLXXXIII. Chr. 896. ined.

Accuratius describemus hunc numum, cui reliqui omnes Samanidarum similes sunt.

1. A. لا اله الا الله *Non est Deus nisi*
الله وحده *Deus unicus,*
لا شريك له *qui socium non habet.*

Margo interior: بسم الله ضرب هذا الدرهم بالشاش سنة ثلث وثمانين ومائتين *In nomine Dei cusa est haec drachma in urbe Schasch anno CCLXXXVI,* h. e. aerae Christianae 896.

Margo exterior: لله الامر من قبل ومن بعد ويومئذ يفرح المومنين بنصر الله *Deo est imperium olim, et in futurum: iam laetentur fideles de auxilio divino.* E Corano Sura XXX. 4. 5.

II. A. لله *Deo.*

محمد *Muhammed est*

رسول الله *apostolus Dei.*

المعتضد بالله *Motaded billah.*

اسمعيل بن احمد *Ismaël fil. Ahmedis.*

M. محمد رسول الله ارسله بالهدي ودين الحق ليظهره علي الدين كله ولو كره المشركون *Muhammed est apostolus Dei, quem cum vera et recta religione misit, ut extolleret eam super omnes religiones, quidquid contradicant idololatrae.* Sura IX. 33.

Agnoscebant principes Samanidae auctoritatem Chalifarum, a quibus missis codicillis in gubernatione provinciarum, ubi tamen soli et summa cum potestate regnabant, confirmari volebant, eamque ob caussam tam in precibus publicis, quam in numis Chalifae nomen suo nomini praemittebant.

Cusus est numus Schaschae, urbe Transoxanae ultra Sihonem, capitis regionis eiusdem nominis, quae totius Transoxanae amoenissima habetur.

Ismaëlem nostrum imperatorem fuisse optimum, virum probum, litteratorum impense amantem, testantur historici. Moneta quoque eius tempore maxime floruit, et qui eius nomen ferunt numi, inter omnes Samanidicos longe sunt nitidissimi, optimis Chalifarum numis perparum inferiores.

XXXII.

XXXII. A.

Numus argenteus Iſmaëlis f. Ahmedis, primi Samanidarum principis, a. CCLXXXV. Chr. 898. ined.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بسمرقند سنة خمس وثمانين ومائتين *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Samarcandae anno CCLXXXV.* aerae vulgaris 898.

Reliqua ut ſupra.

Samarcanda, urbs inter metropoles Transoxanae, in valle Sogdiana ſita eſt, cuius laudes ex Iacutio aliisque celebravit Iac. Golius in notis ad Alferganum pag. 171 ſeqq.

XXXIII. A. nunc B.

Numus argenteus Iſmaëlis f. Ahmedis, primi Samanidarum principis, a. CCLXXXVI. Chr. 899.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالشاش سنة ست وثمنين ومائتين *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Schaſchae, anno CCLXXXVI.* h. e. 898.

Reliqua ut ſupra.

Eundem numum laudant et deſcribunt Reiske in repertorio ſupra memorato T. XVII. p. 273. et Tychſen in commentatione prima de numis oriental. p. 24.

XXXIV. A.

Numus argenteus Iſmaëlis f. Ahmedis, primi Samanidarum principis, a. CCLXXXIX. Chr. 901. ined.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالشاش سنة تسع وثمانين ومائتين *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Schaſchae, anno CCLXXXIX*, aerae vulg. 901.

XXXV. A.

Numus argenteus eiusd. principis, eod. anno et loco excuſus.

Differt ab antecedente non quidem titulis, et aera, ſed litterarum ductu, e quo patet, duas ad huius anni numos excudendos formas, vel duo formarum ſculptores adhibitos fuiſſe.

XXXVI.

XXXVI. A.

Numus argenteus, a. CCXCIII. Chr. 905. ined.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم باندرابه سنة ثلث وتسعين

In nomine Dei cusa est haec drachma Enderabae, anno nonagesimo tertio.

Ob spatii angustiam omissus est numerus centenarius.

II. A.

لله	*Deo.*
محمد	*Muhammed*
رسول	*apostolus*
الله	*est Dei.*
المكتفي بالله	*Moctafi billah.*

Reliqua ut supra.

Omissum in hoc numo nomen principis, cuius sub auspiciis editus fuit: sed sine dubio Ismaëli nostro tribuendus est. Convenit enim in ceteris omnibus cum numis Samanidicis, inciditque in tempora Ismaëlis, qui ad annum usque CCXCV regnavit. Aera quidem clare expressa non est, omisso numero centenario, sed patet e commemoratione Moctafii Chalifae in aversa numi parte, qui a. CCLXXXIX thronum occupavit, numum ad annum CCXCIII pertinere.

Cusus est Enderabae, urbe provinciae Gilan, quae pars plana et aequa est regni Dilemitici, cuius montanae regiones proprio nomine Dilem vocantur. Habuit olim hoc regnum suos principes summa potestate gaudentes, postea autem a Persis subactum, et Persiae additum fuit. Mirum igitur non est, Ismaëlem, Persiae, ex parte quidem, hoc tempore imperatorem, in hac quoque provincia monetam habuisse.

Ceterum plures huius anni supersunt numi, aliis in urbibus, ut Balchae, Schaschae, ab Ismaële excusi, quorum nonnulli recensentur in Repertorio saepius laudato T. XVII, unum nos ex nostra afferemus collectione, Samarcandae editum.

XXXVII.

XXXVII. A.

Numus argenteus Iſmaëlis f. Ahmedis, primi Samanidarum principis, a. CCXCIII. Chr. 905. ined.

I. Margo: بسم الله ضرب هذا الدرهم بسمرقند سنة ثلث وتسعين ومائتين *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Samarcandae, anno CCXCIII.* h. e. 905.

II. A.

لله	*Deo.*
محمد	*Muhammed eſt*
رسول الله	*legatus Dei.*
المكتفي بالله	*Moctafi billah.*
اسمعيل بن احمد	*Iſmaël f. Ahmedis.*

Reliqua ut ſupra.

XXXVIII. A. nunc B.

Numus argenteus Ahmedis f. Iſmaëlis, ſecundi Samanidarum principis, a. CCC. Chr. 912.

I. Margo: بسم الله ضرب هذا الدرهم بسمرقند سنة ثلثماية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Samarcandae anno CCC*, h. e. aerae vulgaris 912.

II. A.

لله	*Deo.*
محمد	*Muhammed eſt*
رسول الله	*legatus Dei.*
المقتدر بالله	*Moctader billah.*
احمد بن اسمعيل	*Ahmed f. Iſmaëlis.*

Reliqua ut ſupra.

Alios huius principis numos recenſent Aurivillius, Reiskius, Tychſenius Gottingenſis, anno nimirum CCXCIX Enderabae, eodem Balchae, eodemque Schaſchae excuſos, noſtrum laudat

Barthelemius,[58] alium eodem anno Schaſchae editum cum poſterioribus nonnullis, anno CCCI Samarcandae et Anderabae cuſis, Aurivillius.[59] Omnes nomen Moctaderi Chalifae exhibent, qui ab anno inde CCXCV ad CCCXX ſumma Chalifae auctoritate gaviſus eſt. In hoc numo nitido et integerrimo, memorabilis eſt nominis احمد بن اسمعيل ſcriptio, ad volubiliorem magisque connexam litterarum formam, quam Neſchi vocant, accedens, quae in pluribus huius aetatis numis animadvertitur, ante reformatum ab Ibn-Mocla ſcribendi modum.[60]

XXXIX. A.

Numus argenteus Ahmedis f. Iſmaëlis, ſecundi Samanidarum principis, a. CCCI. Chr. 913. ined.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالشاش سنة احدي وثلثماية

In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Schaſchae anno CCCI. h. e. 913.

Reliqua ut in antecedente. In hoc numo nomen principis antiqua litterarum forma exaratum invenitur.

XL. A.

Numus argenteus Naſri f. Ahmedis, tertii Samanidarum principis, a. CCCVI. Chr. 918.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بسمرقند سنة ست ثلثماية

In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Samarcandae anno CCCVI, aerae Chriſtianae 918.

II. A.

لله	*Deo.*
محمد	*Muhammed eſt*
رسول الله	*apoſtolus Dei.*
المقتدر بالله	*Moctader billah.*
نصر بن احمد	*Naſr f. Ahmedis.*

Reli-

58) Mem. de l'Academie des Inſcr. T. XXVI. p. 571. Tab. II. n. 16.
59) In novis actis Upſalenſibus T. II. pag. 87.
60) Vide Tychſenii comment. priorem de numis or. n. XVI. p. 26.

Reliqua ut ſupra.

Artificis imperitiam prodit hic numus. Totus averſae partis titulus tam grandibus et craſſis litteris exaratus eſt, ut ſpatium perſcribendis ſingulis non ſuffecerit, et plures vel praecedentibus annexae, vel plane omiſſae ſint.

XLI. A.

Numus argenteus Naſri f. Ahmedis, tertii Samanidarum principis, a. CCCX. Chr. 922. ined.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالشاش سنة عشر وثلثاية

In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Schaſchae anno CCCX, h. e. 922.

Reliqua ut antea.

Paulo nitidius eſt antecedente.

XLII. A.

Numus argenteus Naſri f. Ahmedis, tertii Samanidarum principis, a. CCCX. Chr. 922. ined.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بسمرقند سنة عشر وثلثماية

In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Samarcandae anno CCCX, h. e. 922.

Reliqua ut ſupra.

Craſſi iterum in hoc numo et deformes ſunt litterarum ductus.

XLIII. A. nunc B.

Numus argenteus Naſri f. Ahmedis, tertii Samanidarum principis, a. CCCXII. Chr. 924.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالشاش سنة اثنا عشر وثلثماية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Schaſchi anno CCCXII.* aerae vulg. 924.

Reliqua, ut vulgo.

Eundem numum e muſeo Dresdenſi exhibet Reiskius in repertorio biblico et orientali T. XVIII. p. 1.

XLIV. A.

Numus argenteus Naſri f. Ahmedis, tertii Samanidarum principis, a. CCCXV. Chr. 927. ined.

I. A. لا اله الا *Non eſt Deus, niſi*
الله وحده *Deus unicus,*
لا شريك له *cui ſocius non eſt.*
حسبي الله *Sufficit mihi Deus.*

Margo interior: بسم الله ضرب هذا الدرهم ببلخ سنة خمس عشر وثلثماية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Balchi, anno CCCXV* h. e. 927.

Margo exterior, ut in antecedentibus omnibus.

II. A. et M. ut ſupra.

Differt hic numus a reliquis in primis eo, quod verba: Sufficit mihi Deus, ſymbolum forte principis, in area anticae partis exhibeat, quae in aliis non leguntur.

Balchi excuſus eſt, urbe antiqua, et metropoli Choraſanae, teſte Abulfeda, Bactris forte veterum. Vid. Golii notae ad Alferganum p. 175 ſeqq.

Forma litterarum magis adhuc rudis eſt, quam in antecedente numo Samarcandiano n. XLII: nomen autem principis Samanidae volubiliore ductu, ut in numo XXXVIII, exaratum.

XLV. A.

Numus argenteus Naſri f. Ahmedis, tertii Samanidarum principis, anni incerti.

Huic numo peculiare eſt hoc, quod in area utriusque partis linea una additur, nomen ſine dubio vel cognomen principis vel praefecti alicuius exhibens, quod niſi omnia me fallunt, legendum عز الدين robur religionis, cognomen, quod pluribus principibus fuit commune. Crederem, Naſrum ipſum

ipsum eo titulo gavisum fuisse, nisi Abulfeda (T. II. ed. Hafn. p. 423) alium ei tribueret, nimirum Emir es-Saïd h. e. principis felicis. Sed utrumque forte sibi vindicavit: Arabes enim ingenioſi sunt et prodigi in talibus titulis principibus honoris causſa adscribendis. Similes numos ante oculos habuisse videtur Aurivillius,[61] sed male verba, de quibus agimus, legit et interpretatus est: نادا نصيبر liberalis et victoriosus, quorum in nostro ne vestigia quidem apparent.

Ceterum imperita manu exsculptus est numus, neque nomen urbis, neque aera indagari in meo quidem exemplo potuit. Necesse tamen eum ante annum CCCXX editum fuisse, quia nomen Moctaderi Chalifae adhuc exhibet, qui hoc anno occisus est.

XLVI. A.

Numus argenteus Nasri f. Ahmedis, tertii Samanidarum principis, a. CCCXXIV. Chr. 935.

I. M. ... بسم الله ضرب هذه الدرهم بالشاش سنة اربع وعشرين
In nomine Dei cusa est haec drachma Schaschi, anno CCCXXIV. hoc est 935.

II. A. لله *Deo.*
محمد *Muhammed est*
رسول الله *legatus Dei.*
الراضي بالله *Radi billah.*
نصر بن احمد *Nasr f. Ahmedis.*

Cetera ut in reliquis.

Sub Radio Chalifa editus est hic numus, qui a. CCCXXII solium Bagdadicum occupavit. Eundem e museo Dresdensi protulit et explicavit Reiskius in repertorio biblico et orientali, saepius laudato.

61) Vid. Repertorium bibl. et orient. T. XVII. p. 283. XVIII. 4.

Alios huius Naſri Samanidae numos laudant Aurivillius, Reiskius al. quorum indicem exhibet repertorium l. c. Inter hos Samarcandae excuſi ſunt tres, annis CCCII. CCCIX. CCCXI. Schaſchae duo, a. CCCIV et CCCXII. et unus Anderabae anno CCCVII. *Vidi alium excuſum Samarcandae CCCXXIII.*

XLVII. A.

Numus argenteus Nuhi fil. Naſri, quinti Samanidarum principis, a. CCCXXXVIII. Chr. 949.

I. M. بسم الله ضرب هذا الدرهم ببلخ سنة ثمان وثلثين وثلثماية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Balchi anno CCCXXXVIII*, h. e. 949.

II. A.

لله	*Deo.*
محمد	*Muhammed eſt*
رسول الله	*legatus Dei.*
لله	. . . . . *lillah.*
نوح بن نصر	*Nuh fil. Naſri.*

Reliqua ut in praecedentibus.

Nomen Chalifae, in noſtro exemplo detritum, legi non potuit. Sed Moti lillah المطيع لله legendum eſſet; hic enim Chalifa ſalutatus fuit anno CCCXXXIV, et ſolium occupavit usque ad annum CCCLXIII. Clare autem legitur nomen urbis et aera. Suſpicor, hunc numum eundem eſſe cum eo, quem Reiskius [62] hoc eodem anno Bocharae excuſum opinatur, et in quo Chalifae nomen legit Moſtacfi lillah, cui tamen chronologia et hiſtoria repugnat, quae Moſtacfium iam anno CCCXXXIV a dignitate depoſitum, et anno CCCXXXVIII diem obiiſſe ſupremum memorat.

XLVIII.

62) Repertorium bibl. et or. T. XVIII. pag. 12.

XLVIII. A.

Numus argenteus Nuhi f. Naſri, quarti Samanidarum principis, anni incerti. ined.

I. Margo: بسم الله ضرب هذا الدرهم بالشاش . . . . . *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Schaſchi* . . . . . Aera tam anguſto ſpatio conſtricta, litterarumque formis tam rudibus expreſſa eſt, ut ne divinando quidem indagari potuit.

II. A. لله *Deo.*

محمد *Muhammed eſt*

رسول الله *apoſtolus Dei.*

لله . . . . *lillah* v. *billah.*

الامير الحميد *Princeps laudabilis.*

Reliqua ut antea.

Regnarunt tempore Nuhi tres Chalifae Bagdadenſes, Mottaki lillah, Moſtacfi billah, et Moti lillah, quorum nullius quidem nomen, ſi litterarum peſſime exaratarum veſtigia ſequimur, in numo noſtro apparet, ſed Motio tamen vindicandum eſſe arbitror. Gaudet hoc loco Nuh, titulo Emir el-hamid h. e. principis laudabilis, cognomine quod, teſte Abulfeda, ei a ſubditis tributum fuit.

Alios huius Nuhi numos exhibent in primis Aurivillius et Reiskius, poſterior e Muſeo Dresdenſi; excuſos Schaſchi anno CCCXXXIII, Bocharae CCCXXXVI, CCCXXXVIII, CCCXLI, et CCCXLIV (quae tamen aera chronologiae repugnat), in quorum nonnullis الملك السديد rex fortis cognominatur.

A ſucceſſoribus Nuhi pauci ſuperſunt numi. Tribuitur unus Abd al-maleko filio Nuhi, quinto principi, anno CCCXLVIII editus: alius adſcribitur Manzuro filio Nuhi, ordine ſexto, Samarcandae anno CCCLVIII excuſus, quorum indi-

indicem exhibet repertorium ſupra laudatum. A tribus ultimis Samanidarum principibus nulli, quod ſciam, ad nos pervenerunt numi.

Iuvat hanc numorum Samanidicorum ſeriem obſervationibus nonnullis, quae oculis manuque eos tractanti ſe mihi obtulerunt, concludere. Magnum omnino diſcrimen, quod ad elegantiam formarum attinet, inter hos numos animadvertitur. Nitidiores ſunt, quos edidit Iſmaël filius Ahmedis, licet nitorem antiquiſſimorum Arabum numorum, et inter ſeriores eorum, qui tempore Mamuni, litterarum eximii fautoris, prodierunt, vix attingant. Paullo inferiores ſunt numi Ahmedis Iſmaëlis filii, et his poſteriores imperita tantum non omnes manu exſculpti. Schaſchi editi ſunt, qui ad meliores pertinent: ex officina Samarcandiana autem deteriores prodierunt. — Dignum memoria videtur etiam hoc, quod omnes huius dynaſtiae, quotquot ad nos pervenerunt, numi ſint argentei, nullos aureus, neque aereus adhuc repertus. Illi nimirum in foro et mercatura, cui nos quidem hos numos omnes debemus, maxime verſabantur.





EXCVR-

EXCVRSVS II.

DE NVMIS SAMANIDICIS ALIISQUE ad litus maris Baltici effoſſis.

Satis apud rei numariae Arabum amatores noti ſunt numi Samanidici, quorum titulos hactenus, et pluribus forte, quam neceſſe erat, expoſuimus: ſed unum adhuc attingendum nobis eſt, idque novum illud et admirandum, hos omnes numos, cum centenis eius generis aliis et nonnullis antiquioribus, ad litora maris Baltici e terra effoſſos eſſe, nullos ex Oriente advectos, quare vel in locupletiſſimis muſeis Italicis, Borgiano et Naniano, omnino deſiderantur. [63] Praeterimus, quae alii de cauſſa mirae huius rei diſputarunt: noſtram potius ſententiam, quam brevibus olim in muſeo Cufico Borgiano pag. 22 propoſuimus, hoc loco retractandam, et quantum in tenebris illis fieri poteſt, illuſtrandam probandamque ſumemus. Mutuo commercio, quod inter Transoxanam (hodie magnam Bucharíam) et Moſcoviam circa decimum Saeculum forte obtinuerit, demigrationem pecuniae Arabicae in regiones ſeptentrionales tribuebamus: atque maximum re vera commercium inter utrumque regnum hoc tempore interceſſiſſe, Indicasque potiſſimum merces hac ſola via in Europam advectas fuiſſe, nunc uberius monſtrabimus. [64]

Floren-

63) Poſſidet nunc Eminentiſſimus Borgia numos aliquos Samanidicos, ſed Hafnia mea cura Romam miſſos.

64) Vſus ſum in his conſcribendis partim itinerariis antiquis, partim libris ſequentibus: Golii not. ad Alferganum. Pierre Daniel Huet hiſtoire du commerce et de la navigation des anciens, chap. LIII. LIV. Allgemeine Geſchichte der Handlung und Schiffart. Breßlau 1751. 4. I Th. S. 30. II Th. S. 769 f. 865 f. Pierre Bergeron traité des Tartares, chap. XIV et XVI pag. 85. et 97. in parte II libri: Voiages faits principalement en Aſie dans les XII. XIII. XIV et XV Siecles par Pierre Bergeron. à la Haye 1735. 4. Sed Robertſoni opus, cui titulus: Hiſtorical disquiſition concerning the knowledge the ancients had of India, by Dr. W. Robertſon. London 1791. 4. nondum inſpicere mihi contigit.

Florentiſſimae olim fuerunt mercatura, merciumque Indicarum commune forum, Samarcanda, Bochara, Balch, aliaeque Transoxanae et Choraſanae urbes, quarum ſitus illis convehendis et dimittendis apprime favebat. Samarcanda rivulo Sogdo in duas partes ſecabatur, qui non procul ab urbe in fluvium Oxum ſeſe effundens facultatem ei dabat mercium apud exteros mutandarum, quare undique e Tartaria, Perſia, India, China mercatores ibi confluebant. Idem rivus tranſit per Bocharam, urbem, opulentia, abundantia, merciumqne affluentia tam conſpicuam, ut الفاخرة glorioſa inde cognominare meruerit, et teſte Antonio Ienkinſono, Anglo, anno adhuc MDLVIII poſt tot Aſiae converſiones forum fuerit ſatis celebratum, quod multi quotannis mercatores e Perſia, Ruſſia, omnibusque Indiae emporiis venientes frequentarent. Accedebat utriusque urbis et agri adiacientis amoenitas, aërisque ſuavis et ſalubris temperies, quae tanta fuit, ut haec regio inter quatuor Aſiae Tempe numeraretur, et multos undique hoſpites alliceret. Neque incommoda negotiantibus erat Balch, Choraſanae urbs cis Oxum, quam in planitie ſitam eſſe refert Ibn-Haukel, teſtis oculatus, quatuor a monte paraſangis, et per ſuburbium eius meare fluvium Dehaſchum, qui poſt rigatos hortos et arva, duodecim ab urbe paraſangis ſe effundit in Oxum, quam ob rem et olim fuit, et nunc eſt horreum mercium Indicarum. Praeterea Anderab, Indoſtanae contermina, et Hera, ſive Herat, Perſiae vicina, ad excipiendas et transmittendas merces Indicas Perſicasve natura ſunt idoneae. Ad omnes has ſtationes deferebantur merces ex India per fluvium Indum, depoſitae primum in urbibus Cabul et Candahar, et ex illis ulterius tum per alia flumina, tum ope mercatorum terra proficiſcentium provectae. Atqui numi iſti, in ſeptentrionalibus regionibus effoſſi, ſi paucos Chalifarum numos excipias, qui per totam forte Aſiam valebant, ubi Chalifarum auctoritas agnoſcebatur, in iisdem, quas memoravimus, urbis Samar-

Samarcanda, Bochara, Balch, Anderabe, excuſi ſunt: quam ob rem vel ex his probabile videtur, eos ope mercaturae in illas regiones migraſſe.

Sed ulterius progrediamur, et qua via poſtea provectae fuerint merces Indicae, conſideremus. Per Oxum devehebantur ad mare Caſpium, et inde ad urbem Aſtracan aliaque emporia transmarina. Quae urbes ex commune ſcriptorum conſenſu eo adhuc tempore, quo commercium Indicum iam in manus Venetorum transierat, ſtationes erant unicae, ubi excipiebantur et per Europam diſtrahebantur merces Indorum.[65] Ex his autem

65) Gio. Battiſta Ramuſio delle navigazioni e viaggi, Venezia 1563 fol. Vol. I. fol. 372. f. Dopo la rovina dell' Impero Romano „le gioie e le ſpetie non poſſendo eſſer condotte per la via gia detto del mar Roſſo, ne pigliarono un altra, laqual fù, che i mercanti cominciaron a navigarle pe 'l fiume Indo a contrario dell' aqua e tanto andarono, che giunſero appreſſo la provincia Battriana, e quindi con camelli per alcune giornate le conduſſero nel fiume Geichon (Gihon), che gli antichi chiamano Oxo, che sbocca nel mar Caſpio e da quello le navigarono a traverſo del detto mare, inſino a un luogo detto Citracham (Aſtrachan), il quale è dove il grandiſſimo fiume Rha, ora detto Herdil, o Volga, sbocca in detto mare; poi le conduſſero a contrario dell' aqua del detto fiume per la Tartaria, e di nuovo con camelli le portarono nel fiume Tanais, che è in capo del mar maggiore, ora detto la Tana, nel qual luogo non ſono ancora centocinquanta anni, che andavano le galere e navi Venetiane e Genoveſi a comprar dette ſpetie e gioie. E queſto viaggio durò gran tempo, ſin' a tanto che uno Imperadore dell' Armenia dette commodità, che per la via de gli Hiberi e Albani dette ſpetie ſi conduſſero dal mar Caſpio nel fiume Faſſo, che appreſſo gli antichi era detto Phaſis, nel mar maggiore, e di la nella città di Trapeſonda, dove le navi andando a pigliarle, havevano a far minor cammino. E anche queſto viaggio ſi perſe per la rovina che fecero i Turchi, di quello Imperio, e fu trovato poi, che conducendole nel ſino Perſico, ſino alla boccatura del fiume Eufrates, dove è il luogo detto Balſera, ſi potevano navigare molte giornate per detto fiume, e poi con i camelli nella carovana condurle alla volta delle città d' Aleppo e Damaſco, e inſino a Barutti, ſopra il noſtro mar Mediterraneo.„ Viaggio di M. Ioſafa Barbaro alla Tana. Venezia 1543. 4. Cap. 12. „Le ſpetie e le ſete, che al preſente vanno in Soria, andavano in Citracan, e da quel

emporiis facile per Volgam in Moſcoviam migrare potuiſſe, vel ex eo patet, quod antiquitus maximum inter Moſcoviam et Aſtracanam commercium viguiſſe, et frequentem ſemper ibi fuiſſe affluentiam mercatorum Moſcovitarum legimus. [66] Quam ob rem Paulus Centurio Genuenſis hanc viam provehendorum aromatum, ut facilem et quaeſtuoſam, commendavit Baſilio, Moſcoviae duci. Cum enim accepiſſet, merces Indicas olim per Indum et Oxum, et inde per mare Caſpium ad urbem Citracan (h. e. Aſtracan) devectas fuiſſe: hinc ei natam eſſe, aiebat, cogitationem, easdem illinc ulterius per Volgam aliosque fluvios provehi, tum Rigam transmitti, et denique per mare Balticum cum reliqua Europa communicari poſſe, qua ratione et recentiores et aequiore pretio compararentur, quam ope Luſitanorum. [67] Et hanc ipſam viam non quidem inventam

quel luogo alla Tana, dove ſi mandava ſolamente da Venetia ſei e ſette galee groſſe per il levar di dette ſpetie e ſete. E in quel tempo ne Venetiani, ne altra natione citramarina facea mercantia in Soria.„ Viaggio di M. Ambroſio Contarini nella Perſia, cap. 7. „E fama, che anticamente il detto Citracan fuſſe luogo di faccende aſſai, e le ſpecie che venivano a Vinetia per via della Tana, venivano per il detto luogo di Citracan.„

66) Viaggio di M. Ioſafa Barbaro l. c. „Per il fiume Erdil (Volga) a contrario d' acqua ſi puo navigare infino appreſſo il Moſcho terra di Roſſia a tre giornate, e ogn' anno quelli del Moſcho vanno con loro navilii in Citracan a torre il ſale e vi è la via facile, perche il Moſcho fiume va in quello che è nominato Occa, che diſcende nel fiume Erdil.„

67) Paolo Iovio delle coſe della Moſcovia (apud Ramuſium II. 131.) „Paolo Centurione Genoveſe, avendo avuto da Papa Leone X lettere di raccomandatione ſe n' andò in Moſcovia per mercanzie. — Percioche il detto Meſſer Paolo con uno animo grande cercava una nuova ed incredibil via da condur le ſpecierie dall' India, avendo egli per fama inteſo — che dall' ultima India ſu pel fiume Indo a contrario d' acqua ſi potevano condurre ſpecierie e quindi per poco ſpatio di camino per terra, paſſando per la ſommità de' monti di Paropaniſide (Turkeſtan) condurle in Oxo, fiume de Bactriani, il quale quaſi da gl' iſteſſi monti che naſce l' Indo, con corſo contrario, menando ſeco molti fiumi, appreſſo 'l porto di Strava entra

tam a Centurione, sed longe ante re vera frequentatam fuisse a mercatoribus, probant relationes historicorum. Laudantur in primis duae celebres in Moscovia stationes, ubi deponebantur merces, Ladoga et Tzordin. Haec quidem, in magna Permia sita, excepta ope fluviorum Volgae et Kamae aromata aliasque merces exportabat per Petzoram fluvium in Oceanum: ex illa autem, quam priore loco nominavimus, evehebantur per Ladoga lacum et sinum Finnicum in mare Balticum, ubi ab emporiis Vendicis excipiebantur. Inter has celeberrimae erant, primum Vinetta, maximis eo tempore urbibus non secunda, a. Chr. DCCCXXX a Suecis et deinde inundatione vastata; post hanc Iulin, ad ostium Oderae, ubi a mare Baltico ebibitur, frequentata a mercatoribus omnium nationum, usque dum everteretur a Danis a. MCLXX; denique Wisby in Insula Gotland, quae et ante et in primis post illas urbes destructas horreum fuit mercium omnium orientalium aeque ac borealium. Quas urbes a mercatoribus Moscovitis eo tempore frequentatas celebrant Helmoldus aliique scriptores Slavici, qui Graecos (ita Moscovitas appellabant) magno numero ibi confluxisse asseverant. Vt igitur breviter summatimque omnia exponamus: exportabantur merces Indicae per Indum et Oxum

entra nel mar Caspio; e finalmente contrastava, dicendo che gli pareva facile e sicura navigatione da Strava infino a Citrachan, città mercantesca, e alla bocca del fiume Volga, e d' indi poi su per il fiume Volga, Occa, e Mosco facilmente potersi andare alla città di Moscovia, e da Moscovia per terra a Riga, e al mar della Sarmatia, e a tutti li paesi di ponente. E questo cercava egli per esser sopra modo sdegnato per le ingiurie de Portoghesi, i quali avendo in gran parte soggiogata l' India — compravano tutte le specierie. — Ma — non potè in quanto a cotal negotio impetrar cosa alcuna, percioche Basilio giudicava, che non si dovesse a un forestiero mostrar quei paesi, i quali dessero la strada d' andare nel mar Caspio e ne i regni de Persiani. „ Aliam causam, cur irritum mansit hoc consilium, affert Ramusius Vol. I. fol. 374. b. „ Il principe (Basilio) non mancò di fare ogni cosa e fece tentare alcuni signori di Lordo di Tartari vicini, ma le guerre che erano tra loro ed i grandissimi deserti, che dicevano essere necessario di passare, li fece torre dall' impressa. „

in mare Caſpium, tum iterum per Volgam aliosque fluvios Ladogam, et ab urbe Ladoga per lacum cognominem et ſinum Finnicum ad emporia maris Baltici, e quibus per reliquam Europam diſtrahebantur.

Haec ante et circa Saeculum X via fuit commercii Indici, eademque via numos in illas regiones migraſſe, mihi quidem perſuaſum habeo. Fieri enim aliter vix potuit, quam ut mercantes una cum mercibus e Transoxana eo proficiſcerentur, ibique conſiderent; pecunia minimum hoc mutuo commercio inter orientales et occidentales commutaretur. Cui ſententiae probabilitatem quoque addit id, quod effoſſi ſint numi, de quibus agitur, iisdem in locis, vel eorum vicinia, ubi hoc mercaturae genus eo tempore maxime floruiſſe diximus. Tzordini multos ſub terra inventos fuiſſe numos Arabicos, narrat Strahlenbergius,[68] Ladogae quoque in tumulis antiquis plures repertos eſſe, teſtis eſt Strelowius.[69] Volinum, Pomeraniae oppidum, ubi magna eorum copia anno MDCLIV aratro detecta fuit,[70] eodem loco eſt exſtructa, quo Iulin, antiquum illud emporium Vendicum, florebat. Colbergum, Pomeraniae urbs, ubi multi a. MDCLXIII inventi,[71] proximus eſt a Velino portus ad mare Balticum. Ad ripam Calmariae, ubi a. MDCCLXXI ſeptingentis amplius effoſſi,[72] facile e vicina Wisby ope commercii tranſierunt. Eodemque modo in regionem Gedani,[73] Wismariae, Lubecae[74] abire

68) Strahlenberg in dem nordlichen und öſtlichen Theil von Europa und Aſia pag. 103.

69) Strelow in praefatione Guthiland. chron.

70) Catalogus numorum Iablonskianus pag. 426.

71) Hottingeri bibliothecar. quadripart. pag. 116.

72) Nova acta Societ. regiae Vpſal. Vol. II. pag. 79.

73) Prope Gedanum effoſſi fuerunt numi Kehriani.

74) Non procul ab his urbibus numos Arabicos effoſſos eſſe, legitur in Repertorio bibl. et orient. T. VI. pag. 183.

abire potuerunt. Ad agrum Revalenſem denique, ubi numi aliquot Gottingenſes, reconditi in vaſe fictili, effoſſi ſunt, [75] ab ipſis mercatoribus Moſcovitis devecti ſine dubio fuerunt, qui iter Ladoga Vinettam facientes, oram Rigae legebant.

His poſitis et praemiſſis, numi quoque noſtri hiſtoriae antiquioris illius mercaturae Indicae lucem aliquam afferre poſſunt. Colligas forte ex officina unde prodierunt, quaenam urbes Transoxanae eo tempore mercatura maxime floruerint; longe plurimi enim Schaſchae et Samarcandae ſunt excuſi: et e locis ſubterraneis, ubi reconditi fuerant, quaenam in ſeptentrione emporia mercium commutatione celeberrima fuerint. In primis autem, quo tempore viguerit, quo languerit, quo ſenuerit et penitus ceſſaverit hoc mercaturae genus, e numis noſtris facile efficiatur. Maximam partem enim tribus illis decenniis continentur, quae ab anno circiter CCLXXX ad annum CCCX, aerae vulgaris 893 ad 922, tranſierunt, regnantibus in Transoxana Iſmaële, Ahmede, et Naſro, primo, ſecundo, et tertio Samanidarum principibus. Ex ultimo vicennio regiminis Naſri, et e tempore ſucceſſoris eius Nuhi pauciores reperti fuerunt. Vnus et alter tantummodo nomina Abd-al-maleci et Manzuri, quinti et ſexti principis, refert. Et recentiſſimus omnium, qui ad hunc usque diem innotuerunt, adſcribitur anno CCCLVIII, Chr. 968 (laudatus ab Aurivillio in actis nov. Vpſal. T. II. p. 90. Tab. II. N. 7.) Ex hoc tempore aliam viam iniiſſe videtur commercium Indicum, usque dum Saeculo XIII a Genuenſibus et Venetis arriperetur, qui aromata per mare Caſpium et Pontum Euxinum, Caffam, emporium in Cherſoneſo Taurica, et illinc ulterius per Archipelagum in Italiam provehebant. Sed hi quoque tandem Luſitanis cedere coacti fuerunt, qui primi per amplum Oceanum, Africam praeternavigantes, aromata ex India in Europam devexere.

DYNA-

75) Cl. Th. Chr. Tychſen commentatio I. de numis Cuficis pag. 4.

DYNASTIA SELGVKIDARVM ROMANIAE.

Selgukidae, quorum origines tradunt Abulfeda ad annum CCCCXXXII Tomo III annalium, pag. 103 seqq. edit. Hafn. et Herbelot voce Selgiuki, tres formarunt dynastias, quae summa cum potestate in variis Imperii Muhammedanici provinciis regnarunt, una nimirum in Irano vel Persia, altera in Kermania, tertia in Romania, vel Asia minore. Ad postremam pertinent numi, quos deinceps illustrabimus. Sed magnopere turbatur ab auctoribus Arabicis historia principum huius dynastiae, neque certe adhuc constat, quo anno singuli vel regnum occuparunt, vel successoribus reliquerunt. Iuvat igitur seriem eorum ex Herbeloto, Abulfaragio, Abulfeda et Damasceno hoc loco lectoribus ante oculos ponere, quo facilius, si quid lucis forte numi nostri in his tenebris accendant, quae vera sint, quae minus, in illis historicorum controversiis, discernere valeant.

1. Soliman, filius Cotlumisch, filii Israëlis, filii Selguk, vel secundum Abulfedam, filii Iapgu Arslan, filii Selguk, fundator dynastiae, anno 480, teste Herbeloto; mortuus a. 500 Herbel. 479 Abulfedae. Sed scriptores cruciatarum, ut Wilhelmus Tyrius III. 1. eum adhuc in vivis fuisse scribunt a. Chr. 1097.

2. Davud, cognomine Kilig Arslan, filius Solimani antecedentis, mortuus a. 501 Herbel. 500 Abulfar. et Abulf.

3. Massud, filius Kilig Arslani praecedentis, mortuus a. 551 Abulf. Damasc.

4. Az-ed-din Kilig Arslan, Massudi praecedentis filius, ob. a. 588 Herb. Abulfar. Abulf. Hic regnum inter filios partitus erat, quo multas turbas et ruinam fere genti suae concitavit. Successit ei filius

5. Rocn-ed-din Soliman, mort. a. 602 Herb. 600 Abulfar. Abulf. Quem secutus est filius

6. Az-

6. Az-ed-din Kilig Arſlan II, regno expulſus anno 601 Abulfar. 602 Abulf. Tum

7. Gaiat-ed-din Caichoſru, filius Kilig Arſlani, Rocn-ed-dini frater, ob. a. 609 Herb. 607 Abulf. Sed ab his hiſtoricis recedit Abu'l-Abbas Ahmed Damaſcenus, in hiſtoria univerſale, qui Kilig Arſlanum ſupra laudatum ita diſtribuiſſe regnum inter filios refert, ut Iconium cum adiacentibus agris acciperet Gaiat-ed-din, Acſerai et Sebaſtopolin Cotb-ed-din, Tocadum Rocn-ed-din, Ancyram Mogi-ed-din, Melitam Az-ed-din, urbem Boſtain Mogit-ed-din, Caeſaream Nur-ed-din, nepos ex fratre denique Amaſiam; ſed hanc intempeſtivam patris et imprudentem teneritatem multas ei et continuas a filiis moleſtias, mortem denique concitaſſe, thronum poſt eum occupante filio Gaiat-ed-din, qui diem ſuum obierit a. 607.[76]

8. Az-

76) Contextus Arabicus ita ſonat in codice biblioth. Regiae Hafn.
فاعطي قونية باعمالها لغيات الدين كيخسرو ومدينة اقسراي
وسيواس لقطب الدين ومدينة توقاد لركن الدين سليمان
ومدينة انكورية لمجي الدين ومدينة ملطية لعز الدين
ومدينة البستين لمغيث الدين ومدينة قيسارية لنور الدين بن
محمود ومدينة نكسار واماسية لابي اخيه فوقع بينهم النزاع
والمخاصمة وبقي السلطان قليج ارسلان يتنقل بين اولاده من
واحد الي واحد وهم مغرضون عنه ومشتغلون له حتي مرض
وعاد الي قونية فتوفي بها وتولي مكانه ابنه غيات الدين
كيخسرو في مدينة قونية وبقيت بنيه علي حالهم في ولايتهم
التي قسمها بينهم ابوهم لكن النزاع واقع بينهم واستفحل ملك
غيات الدين وعظم شانه الي ان قتله الشكري صاحب قسطنطينية
سنة سبع وستماية ،

8. Az-ed-din Caicavus, filius Gaiat-ed-dini, cognomine al-malek al-galeb (ſecundum Damaſcenum el-galeb billah الغالب بالله) obiit 610 Herb. Damaſc. 616 Abulfar. Abulf.

9. Ala-ed-din Caicobad, alter filius Gaiat-ed-dini, mort. a. 636 Herb. 634 Abulfar. Abulf. Damaſc.

10. Gaiat-ed-din Caichoſru II, filius Caicobadi antecedentis, obiit a. 647 Herb. 642 Abulfar. 645 Abulf. 654 Damaſc.[77] Ex hoc tempore Tatari vel Mogoli omnia egerunt pro arbitrio, Sultanis nomine tantum relicto.

11. Az-ed-din, antecedentis filius, de regno detruſus a Tataris a. 645 Abulfar. Hunc in ſerie Sultanorum Selgukidarum plane omittunt Herbelot, Abulfeda al.

12. Rocn-ed-din Soliman (Abulfedae Rocn-ed-din Kilig Arſlan), alter Caichoſrui filius, partim ſolus, partim cum fratre modo laudato regnavit usque ad a. 664 Herb. 666 Abulf.

13. Gaiat-ed-din Caichoſru III, Rocn-ed-dini filius, ob. a. 682 Herb. Abulf.

14. Maſud (Herbel. Gaiat-ed-din Maſud), filius Az-ed-dini Caicavuſi, ob. a. 687 Herb. 708 Abulf. In eo exſpiravit Selgukidarum familia in Romania, teſte Abulfeda. Sed Herbelotus unum addit:

15. Cai-

77) De liberis huius Caichoſrui II haec habet Damaſcenus: وترك ثلاثة اولاد اكبرهم علا الدين كيقباد وعز الدين كيكاوس وركن الدين وجعل علا الدين ولي عهده وكان يخطب باسمهم جميعا وامرهم واحد „reliquit tres filios, quorum natu maximus erat Ala-ed-din Caicobad, proximus Az-ed-din Caicavus, tertius Rocn-ed-din. Succeſſorem conſtituerat Ala-ed-dinum. Preces publicae omnium nomine fiebant, ſed unus regnabat.„ Temere. Az-ed-dinum natu maximum fuiſſe, probat numus noſter LIX. Sed, quod obiter monebo, inſulſa compilatio eſt haec Damaſceni hiſtoria univerſalis, referta erroribus in chronologia et nominibus propriis; et Hafnienſe exemplum mendoſe quoque, licet nitide, deſcriptum.

15. Caicobad, fil. Feramorg, vel Faramorz, fil. Caicavuſi, a Mogolis expulſum.

Rariſſimi ſunt huius dynaſtiae numi, et ſi quinque vel ſex excipias, omnino fere noſtratibus incogniti. Vnum exhibet Muſeum Borgianum, Romae a me editum, de quo infra ad numum XLIX, alius, a Caicobado editus, exſtat in eodem Muſeo N. XCIX, duo aenei reperiuntur in Muſeo Naniano N. XCVIII et CXVII, alium exhibet cl. Tychſen in commentatione II de numis Cuficis pag. 6. quibus addatur celebris ille et a multis laudatus Caichoſrui numus cum effigie leonis, de quo in Muſeo Cufico Borgiano pag. 60.

XLIX. B.

Numus aeneus ſeptimi Selgukidarum principis, ined.

Hic idem numus eſt, quem in Muſeo Cufico Borgiano Romae edito MDCCLXXXII recenſuimus pag. 74. No. LII. ſed cum exemplum illud valde detritum temere Borkiaroko tribuerimus: iuvat hoc loco numum ſecundis curis retractare.

Ab una parte cernitur princeps Turca, equo inſidens, pileum in capite, manu lanceam vel gladium gerens, cum tribus ſtellis, ſupra ad utrumque principis latus duabus, una infra.

Ab altera parte legitur nomen principis hoc modo: السلطان المعظم كي خسرو بن قليج ارسلان *Sultanus maximus, Caichoſru filius Kilig Arſlani.* Aera in numo expreſſa non eſt.

Sultani titulo gaviſos eſſe Selgukidas, iam olim animadvertimus in Muſeo Cufico Borgiano pag. 60 ſeqq.

Neque mirum videri poteſt, figura ornatum eſſe hunc numum, licet Muhammedani effigies figurasque odio habere ſoleant. Selgukidae enim origine erant Turcae, legis Muhammedanae non ita quidem tenaces, ut in his, quae levia illis viderentur, ſuperſtitionen potius Muhammedanorum, quam

aliarum gentium morem ſequi maluerint. Quin ipſum ſacrorum Muhammedanorum ſummum antiſtitem, Chalifam, a ſevera illa lege interdum receſſiſſe, vidimus in numo XXVIII ſupra illuſtrato. Illud tamen hoc loco indicari meretur, plerosque et fere omnes numos figuris ornatos aereos eſſe; in argenteis raro inveniri effigies.

L. B.

Numus argenteus noni Selgukidarum principis, anni DCXVII. Chr. 1220. ined.

I. Area: السلطان المعظم *Sultanus maximus*
علا الدنيا والدين *Ala-eddunia vaddin,*
ابو الفتح كيقباد *Abu'l-Fatah Caicobad*
بن كيخسرو *filius Caichoſrui.*

In margine: ضرب هذا (الدرهم) بقونية *Cuſa eſt haec drachma Iconii.*

II. Area: الامام الناصر *Imam Naſer*
لدين الله *ledin allah,*
امير المومنين *princeps fidelium.*

In margine: ... سنة ... سبع عشر وستماية *Anno DCXVII* h. e. 1220.

Summa quidem cum poteſtate regnabant Selgukidae, ſed eam tamen honoris ſpeciem tribuebant Chalifis, ut ab iis miſſis codicillis confirmari vellent in regno, ne uſurpatores viderentur. Quam ob cauſſam nomen Chalifae in numis quoque eorum apparet. Naſer ledin allah in hoc, quod ante oculos habemus, exemplo nomen eſt trigeſimi quarti Abbaſicae gentis Chalifae, qui ab anno DLXXV ad DCXXII Bagdadi regnavit.

Variis cognominibus titulisque gaudet in hoc numo Caicobad. Prior quidem Sultani maximi communis fuit plerisque

risque Selgukidarum principibus: alter autem Ala-eddunia vaddin h. e. ſupremus in rebus civilibus et eccleſiaſticis, honoris titulus fuit, quo hic Caicobad compellari volebat. Abu'l-Fatah tandem audit ex filio ipſi nato, cui nomen fuit Fatah.

Quae in margine utriusque partis exſtant verba, coniunctim legenda ſunt: cuſa fuit haec drachma Iconii, anno DCXVII. Iconium, arabice Cunia, Romaniae vel Aſiae minoris urbs, unius diei itinere diſtat a Laodicaea, teſte Geographo Nubienſe (in parte V climatis V. editionis arabicae fol. 23 a tergo col. 1. lin. 8. 9.) et quinque dierum ab Ancyra (ibid. l. 17. 18). Sedes regia erat Sultanorum Selgukidarum.

LI. B.

Numus argenteus noni Selgukidarum principis, anni DCXVIII. Chr. 1221.

I. Area, litterarum forma volubiliore et intricata:

السلطان المعظم *Sultanus maximus*

كيقباذ بن كيخسرو *Caicobad fil. Caichoſru.*

In margine: ضرب هذا الدرهم بسيواس *Cuſa eſt haec drachma Sivaſi.*

II. Area:

المومنين
الامام الناصر
لدين الله امير

Legenda hoc ordine: الامام الناصر لدين الله امير المومنين *Imam Naſer ledin allah, princeps fidelium.*

In margine: سنة ثمان عشر وستماية *Anno DCXVIII.* Chr. 1221.

Sivas vel Sebaſtia urbs Aſiae minoris eſt, quam tribus a Malatia manſionibus diſtare aſſerunt Geographi Arabes.

Similem numum laudat et explicat Rev. Sim. Aſſemanius in Muſeo Cufico Naniano, Italice edito Patavii 1787. pag. CXIX No. CXVII. Alius a nobis illuſtratus fuit in Muſeo Cufico Borgiano Romae edito N. XCIX p. 158. Vterque horum tamen differt a noſtro eo, quod Aſſemanianus aereus ſit, Borgianus argenteus quidem, ſed minoris moduli.

LII. B.

Numus argenteus noni Selgukidarum principis, detritus.

I. Area, ut in antecedente.

In margine: ضرب هذا Reliqua detrita. Sed, ut antecedens, ex officina Sivaſenſe prodiiſſe videtur.

II. Area, ut in numo antecedente.

Margo, quae aeram exhibuit, detrita.

LIII. B.

Numus argenteus noni Selgukidarum principis, a. DCXXII. Chr. 1225.

I. Area, ut in numo LI.

Margo, ut in eodem numo. Nomen urbis detritum: ſed veſtigia Sivaſi apparent.

II. Area: المومنين
الامام الظاهر
بامر الله امير

h. e. *Imam Daher beamr allah, princeps fidelium.*

In margine: ... وعشريـــن ... *vigeſimo.* Cetera legi non poſſunt.

Hic Daher beamr allah, (qui a nonnullis temere appellatur Daher lillah,) filius Naſeri ledin allah, Chalifa renunciatus fuit

fuit anno DCXXII, sed ultra novem menses imperio non praefuit. Patet ergo, hunc numum eodem anno DCXXII fuisse excusum.

LIV. B.

Numus argenteus noni Selgukidarum principis,
a. DCXXIII. Chr. 1226. ined.

I. Area, ut in numo L. Sed margo titulo caret. Puto tamen, numum Iconii excusum esse, cum inter hunc et illum Iconiensem tanta similitudo in reliquis intercedat.

II. Area: الامام المستنصر *Imam Mostanser*
باللّه امير *billah, princeps*
المومنين *fidelium.*

Margo: سنة ثلثة وعشرين وستماية *Anno DCXXIII.*

Succedebat Mostanser Chalifa patri suo Dahero hoc eodem anno DCXXIII. Malatiae tunc haerebat Ala-ed-din Caicobad, e qua urbe territorium Malek el-Massudi, Ortocidae, per immissas copias impetebat, eique arcem Mansuri et arcem Cachta adimebat. Nisi itaque Iconio tribuere velles numum, ubi officinam monetariam habebant Selgukidae, eum Malatiae editum esse coniicere posses: illud tamen mihi probabilius videtur.

LV. B.

Numus argenteus noni Selgukidarum principis,
a. DCXXV. Chr. 1227.

I. Area, ut in numo LI.

Margo: ضرب هذا الدرهم بقونية *Cusa est haec drachma Iconii.*

II. Area: الامام المستنصر *Imam Mostanser*
باللّه امير المومنين *billah, pr. fidel.*

Margo: .... سنة خمس عشرين *Anno DCXXV*, aerae vulgaris 1227.

Similem

Similem numum, eodem anno excusum, sed tamen a nostro diversum, et ex alia fine dubio moneta editum, illustrat cel. Th. Chr. Tychsen in commentatione II de numis Cuficis pag. 6. Sed fallitur vir doct. in eo, quod mendose in numo exaratum putet العظم pro العظيم (ibid. pag. 4). Legitur ibi, ut in nostro, المعظم.

LVI. B.

Numus argenteus noni Selgukidarum principis, a. DCXXVII. Chr. 1229. ined.

I. Area, ut in antecedente.

Margo: ضرب هذا الدرهم بقونية *Cusa est haec drachma Iconii.*

II. Area: المومنين
الامام المستنصر
بالله امير

h. e. الامام المستنصر بالله امير المومنين *Imam Mostanser billah, princeps fidelium.*

Margo: سنة سبع عشرين وستماية *Anno DCXXVII*, aerae vulgaris 1229.

LVII. B.

Numus argenteus noni Selgukidarum principis, anni incerti, detritus.

I. A. السلطان *Sultanus*
الاعظم *maximus*
كيقباد ... *Caicobad ...*

Margo detrita.

II. A. الامام *Imam*
المستنصر *Mostanser*
بالله *billah,*
امير المومنين *pr. fidel.*

Margo iterum detrita.

En

En octo Caicobadi numi, Iconii et Sivasi excusi. Quam maxime floruit Selgukidarum imperium, hoc Caicobado regnante, nomenque eius non minus celebratur in historia, quam in numis. Optime res publicas administravit, regno internis dissidiis luxato magnitudinem reddidit, longe lateque limites eius extendit, quamobrem merito, verba sunt Abulfaragii, (pag. 312) السلطان العالم *Sultanus mundi*, vel potius ut e numis apparet, السلطان المعظم vel الاعظم *Sultanus maximus* appellatus fuit.

LVIII. B.

Numus argenteus decimi Selgukidarum principis, anni DCXLII. Chr. 1244. ined.

Tituli copiosiores sunt longioresque quam in antecedentibus, et litterarum forma rotundiore, ad recentem illam, quam Neschi vocant, prope antecedente, exarati.

I. Area: السلطان الاعظم *Sultanus maximus,*
ظل الله في العالم *praesidium Dei in mundo,*
غيات الدنيا والدين *Gaiat eddunia vaddin*
كيخسرو بن كيقباد [h. e. fulcimen rerum politicarum et eccles.]
بسم امير المومنين *Caichosru f. Caicobadi.*
Auspiiciis princ. fidel.

In margine: ضرب هذا الدرهم بمحروسة قونية *Cusa est haec drachma in Mahrusat Kunia.*

II. A. بسم الله الرحمن الرحيم *In nomine Dei benignissimi.*
لا اله الا الله *Non est Deus, nisi Deus,*
محمد رسول الله *cuius apostolus est Muhammed,*
الامام المستعصم *Imam Mostaasem*
بالله امير المومنين *billah, princeps fidelium.*

Margo: في سنة اثنتي واربعين وستمايـة *Anno DCXLII.* aerae vulg. 1244.

Moſtaaſem billah, innuit hic titulus eum, qui ſe Deo, tamquam tuto et invicto praeſidio, munit, ultimus fuit Abbaſicae gentis Chalifa, homo imbecillis conſilii, cuius ob imprudentiam Tatari allecti Bagdadum, una cum urbe Chalifatum et gentem Abbaſidarum exſciderunt. Chalifae dignitatem adeptus erat a. DCXL.

Gaiat-ed-din autem, vel ut hic appellatur, Gaiat ed-dunia va'd-din, Marino Sanuto Guiatadin, decimus erat Selgukidarum Sultanus, cuius ditionem iidem Tatari invadebant, eumque in fugam coniectum cogebant in aliquam ſuarum arcium ſe recipere, eorumque arbitrio ſeque ſuumque imperium ſubiicere. Accidiſſe haec narrat Abulfeda anno DCXLI, h. e. aerae Chriſtianae 1243, Marinus Sanutus autem refert ad annum 1244, eundem, quo numus noſter excuſus eſt, Herbelotus denique memorat annum 1246 (voce Caikhoſru). Forte conciliandi ſunt varii hi et diſſentientes auctores eo modo, ut Abulfeda initium invaſionis Tataricae, Marinus cladem exercitus Selgukidae, Herbelotus imperii eius ruinam innuere voluerit. Patet nimirum ex noſtro numo, Gaiat-ed-dinum nondum a. 1243 aut 1244 omni privatum fuiſſe poteſtate, cum non ſolum iure pecuniae excudendae, ſed etiam magnificis illis titulis in numis ſuis adhuc uſus fuerit hoc anno 1244. Sequitur porro ex aera numi, erraſſe Abulfaragium, qui ann. DCXLII vel 1244 Gaiat-ed-dino fatalem indicat, cum annis demum duobus tribusve poſt regni everſionem ex unanimi hiſtoricorum conſenſu diem obierit ſupremum.

Cuſus dicitur numus قونية محروسة in Mahruſat Kunia h. e. in cuſtodita Iconio. Videtur Mahruſa (quae vox in Lexico Goliano deſideratur) epitheton eſſe, quod arcibus, oppidisque munitis boni ominis cauſſa addebant. Subintelligendum:

dum: a Deo cuſtodita et ſervata. Exemplum eius habes in annalibus Abulfedae, Tom. III. edit. Hafnienſis pag. 14 lin. 4. بقلعة دمشق المحروسة h. e. in arce Damaſcena cuſtodita; item in hypographe codicis Abulfedae Leidenſis: هذا انتهاء التاريخ الذي ألّفه السلطان العالم العادل الملك المؤيّد ابو الفدا اسمعيل صاحب حماة المحروسة h. e. finis annalium, quos compoſuit Sultanus ſapiens, iuſtus, rex placide incedens, Abulfeda Iſmaël, dominus Hamatae cuſtoditae rel.

Ceterum plura ſingularia ſunt in hoc numo, ut magnifici tituli, quo inſuperbire legimus principem, quo tempore iam ad incitas fere redactum fuit eius imperium; auctoritas, quam Chalifae tribuit, cuius non tantum nomen expreſſit in numo, ſed etiam eius ſub auſpiciis editum aſſerit, cum huius regnum non minus, quam Selgukidae thronus, vacillaret; formula illa Arabibus ſollemnis, In nomine Dei benigniſſimi, alias in numis inſolita; et longiores in genere et copioſiores tituli, quam vulgo in huius aevi numis Arabicis animadvertuntur.

LIX. B.

Numus argenteus filiorum Caichoſrui, decimi Selgukidarum principis, poſt DCL. Chr. 1252. ined.

Tituli, litterarum forma rotundiore exarati, ſunt ſequentes:

I. A. السلاطين الاعاظم	*Sultani maximi,*
عز الدنيا والدين كيكاوس	*Az - ed - din Caicavus,*
ركن الدنيا والدين قليج ارسلان	*Rocn-ed-din Kilig Arſlan,*
علا الدنيا والدين كيقباد	*Ala - ed - din Caicobad,*
بنو كيخسرو بن	*filii Caichoſrui, fil. . . .*

In Arabicis eſt Az-eddunia va'd-din, Rocn-eddunia va'd-din, Ala-eddunia va'd-din, h. e. robur — praeſidium — celſitudo

tudo mundi et religionis, vel rerum civilium et ſacrarum. Ita enim tales titulos in documentis publicis efferre ſolent, pro vulgaribus: Az-ed-din, Rocn-ed-din, Ala-ed-din, robur — praeſidium — celſitudo religionis.

Margo inſcriptione caret.

II. A. لا اله الا الله محمد رسول الله الامام المستعصم بالله امير المومنين ضرب بسيواس في خمسين وستماية ..... DCL . . . . . *Non eſt Deus niſi Deus, cuius legatus eſt Muhammed. Moſtaſem billah, princeps fidel. Cuſus Sivaſi, anno* (Reliqua abſciſſa.)

Margo lineis ornata.

De urbe Sivas vide quae diximus ſupra ad numum LI. Aera non clare legitur: deſideratur enim prima vox. Sed numum excuſum fuiſſe neceſſe eſt inter annos DCL et DCLVI, quo Moſtaſem necatus a Tataris et Chalifatus Abbaſidarum penitus deſtructus fuit.

De hiſtoria numi haec accipe ex Abulfaragio et Abulfeda. Reliquit Gaiat-ed-din Caichoſru, Romaniae rex, tres filios, Az-ed-dinum, Rocn-ed-dinum et Ala-ed-dinum. Regno autem praefecit natu maximum Az-ed-dinum, in cuius verba iurarunt principes, et pro quo in ſuggeſtis publicae preces factae ſunt. Sed anno DCXLV Tatarorum vel Mogolorum imperator Romaniam invadens amoveri imperio Sultanum Az-ed-dinum iuſſit et in eius locum Rocn-ed-dinum fratrem ſubſtitui. Poſtea tamen invicem conſenſerunt fratres in hoc, ut regiones inter eos partirentur, eſſentque Iconium, Acſera, Ancyra, Anatolia reliquaeque provinciae occidentales Az-ed-dino; Caeſarea vero, Sivas, Malatia, Arzengan, Arzenrum, aliaeque provinciae orientales Rocn-ed-dino; et Ala-ed-din, frater minor,

nor, poſſeſſiones privatas acciperet, quae ipſi ſufficerent. Addit Abulfaragius, numos trium iſtorum nomine in pacti conventi memoriam cuſos fuiſſe, quibus inſcriptum: Reges maximi, Az et Rocn et Ala. Verba arabica auctoris leguntur pag. 491. 492. in editione Pocockii: وضربوا السكة باسم الثلثة وكتبوا السلاطين الاعاظم عز وركن وعلي En unus iſtorum numorum, qui Abulfaragii narrationem egregie et confirmat et illuſtrat.

DYNASTIA ZENGIDARVM
VEL ATABEKORVM IRACI.

Atabek اتابك, vox Turcica, patrem principis notat. Hoc titulo gaudebant magnates, quibus cura educandorum principum in Aula Selgukidarum demandata erat. Sed ſuccedente tempore, principum vel favore, vel infirmitate, abuſi, tantam arripiebant auctoritatem et potentiam, ut quatuor fundarent in Aſia dynaſtias, in Iraco nimirum, in Aderbigana vel Media, in Perſia et in Lariſtana. Ad primam pertinent numi, quos deinde illuſtrabimus, de qua nonnulla praemonere iuvat. Fundator eius fuit Emad-ed-din Zengi, vulgo Sanguinus, a quo Zengidae quoque appellantur huius domus principes. Acceperat hic Emad-ed-din a Mahmudo, Selgukidarum Sultano, primum praeturam Bagdadi, deinde anno DXXI, Chr. 1127 Iraco praefectus fuit, eodemque anno Mauſelae, quam mox una cum Niſibina, Sangara, Halebo, aliisque urbibus, ſui iuris fecit. Ab hoc tempore Mauſelae regnavit, et poſt multas in vicinas provincias excurſiones, variaque bella cum Francis aeque ac Muſlemis geſta, et tota denique, ſi Damaſcum exemeris, Syria expugnata, quae omnia ſervari aſſerebat Alp-Arſlano, Selgukidae principi, quem ſua in aula habebat, huius forte machinatione ab aliquot ſuis mancipiis confoſſus periit a. DXLI. Quo mortuo Alp-Arſlan ab exercitu dominus ſalutatur, Nur-ed-din

Mahmud autem, occisi filius, Halebum occupat. Mox alter eiusdem filius, Seif-ed-din Gazi, pulso Alp-Arslano, Mausolam sibi subiicit, cui mortuo a. DXLIV succedit frater Cotb-ed-din Maudud. Nur-ed-din interea victorias suas prosequitur in Aegyptum usque, quam duce Saladino expugnat, continuis bellis et incursionibus lacessit Francos et vicissim lacessitur ab ipsis, et diem denique obit supremum a. DLXIX, Chr. 1173. Hic idem est princeps, qui toties in historia cruciatarum sub nomine Norandini celebratur. In duos itaque ramos se diffudit dynastia Zengidarum, Halebensem nimirum et Musulensem: cuius utriusque principes hoc ordine sese excipiunt.

Halebenses.

Malec el-adel Nur-ed-din Mahmud laudatus obiit a. 569.

Malec es-saleh Ismaël, Damasci residens et post hanc captam a Saladino, Halebi, ob. a. 577. Regnum Halebense legabat

Az-ed-dino Masudo, Musulae domino, qui tamen paullo post illud permittebat fratri

Emad-ed-dino Zengio, Sangarae principi, eiusque loco Sangaram accipiebat, quo facto Musulam redibat. Sed a. 579

Musulenses.

Cotb-ed-din Maudud laudatus ob. a. 565.

Seif-ed-din Gazi, cui frater natu maior, Emad-ed-din Zengi regnum cesserat, Sangara et Nisibina contentus. Fini proximus a. 576 principatum legavit fratri

Az-ed-dino Masudo. Hic obiit a. 589, sexto mense post obitum Saladini, successorem relinquens filium

Nur-ed-dinum Arslanschah, Abulfedae Bedr-ed-din Arslanschah, cui a. 607 successit filius

Malec el-caher Az-ed-din Masud, adhuc puer, cuius nomine regnum administravit Bedr-

Halebenſes.

a. 579 Halebum Saladino dedere coactus fuit, hac conditione, ut pro ea Sangaram, Niſibinam aliasque urbes, iam occupatas a Saladino, acciperet. Rediit igitur Emad-ed-din in priſtinum principatum, Saladinus autem, rebus Halebi ex arbitrio ordinatis, urbi recens acquiſitae praeficiebat ſuum filium, Malec ed-Daherum Gazium. Sic ceſſavit Atabekorum Zengidarum Halebi imperium.

Muſulenſes.

Bedr-ed-din Lulu, defuncti principis maior domus. Mortuus a. 615 reliquit geminos filios, pueros,

Nur-ed-dinum Arſlanſchah II, et

Naſr-ed-dinum Mahmudum, quorum prior unum tantum annum, alter ad a. 631 ſub tutela Bedr-ed-dini principatum tenuit. Vtroque vivis exemto recidebat omnis poteſtas ad Bedr-ed-dinum, et ſic haec quoque Zengidarum ſtirps exſtincta fuit.

LX. B.

Numus aeneus Seif-ed-din Gazii, principis Muſulae, a. DLXXV. Chr. 1179. ined.

I. Caput principis, e numo quodam Romano forte transſcriptus.

In margine legitur: لا إله إلا الله *non eſt Deus* — Cetera abſciſſa ſunt. Eſt formula illa ſollemnis: non eſt Deus, niſi ille, cui ſocius non eſt: vel altera: non eſt Deus niſi Deus (verus), et Muhammed eſt eius apoſtolus.

II. Area: . . . . . (Detritae ſunt
. . . . . priores lineae)
. . . ابن ي . . . *i filius*
مودود *Maududi.*

Margo:

Margo: بسم الله . . . . . خمس وسبعين وخمسماية [h. e. وخمسماية] و . . . سماية *In nomine Dei . . . DLXXV.* h. e. aerae vulgaris 1179.

Pertinet hic numus ad Seif-ed-dinum Gazi (cuius nominis ultima tantum littera in numo ſupereſt) filium Maududi, qui hoc anno Muſulae regnavit.

LXI. B.

Numus aeneus ſub Az-ed-dino pr. Muſulae excuſus, anni incerti. ined.

I. Figura principis, ſtantis vel ſedentis, peſſime picta. Manu globum tenere videtur.

II. A.

الملك الناصر	*Almalek en-Naſer*
صلاح الدنيا و	*Salah - ed - dunia*
الدين	*vaddin . . . . .*

h. e. rex victorioſus, beneficium mundi et religionis: nomen Saladini.

M. بموصل *Muſulae.* Reliqua non leguntur.

Ad Saladinum referri non poteſt hic numus, quia Muſulae excuſus eſt, ubi Zengidae regnabant. Sed refert Abulfeda in annalibus Muſlemicis ad annum DLXXX (edit. Hafn. T. IV. pag. 69.) Saladinum hoc anno pacem feciſſe cum Muſulenſibus ea lege et conditione, ut dominus Muſulae Saladino provincias nonnullas traderet, omnesque per ſuggeſtus principatus Muſulenſis ceterarumque ditionum Saladino tamquam Sultano pia vota faceret, numisque ſuis nomen eius incuderet. Sic idem Saladinus, qui olim totus a Nur-ed-dino, Muſulenſium principe, dependebat, verſa fortuna Nur-ed-dini ſucceſſori leges praeſcripſit. Regnavit autem hoc tempore Muſulae Az-ed-din Maſud: huic itaque tribuendus eſt numus, Muſulae ſub auctoritate Saladini excuſus.

LXII. B.

Numus aeneus ſub Az-ed-dino pr. Muſulae excuſus, a. DLXXXVI. Chr. 1190. ined.

I. Princeps ſellae vel Soffae inſidens, pedibus decuſſatim ſuppoſitis, capite cidari ornato. Figuram ambit titulus: الملك الناصر صلاح . . . . *al-Malek en-Naſer Salah* . . . (Deſunt reliqua) Nomen Saladini.

II. A. الامام النا- *Imam Na-*
صر لدين الله *ſer ledin allah,*
امير المومنين *princ. fidelium.*

Nomen Chalifae Bagdadenſis.

M. Supra ضرب هذا *Cuſa eſt haec*
Infra الدرهم سنة *drachma anno*
ad dext. ست وثمنين *quingenteſimo*
ad ſin. وخمسماية *octuageſ. ſexto.*

Sine indicio urbis.

Muſulae excuſum eſſe numum, et quidem regnante eodem Az-ed-dino, cuius iam alium numum recenſuimus, omnia ſuadent. Quare Saladini nomen ei inſcriptum ſit, ad praecedentem diximus. Sed omiſſum in utroque numo Zengidae nomen, cuius e moneta prodiiſſe dixi? Inſolitum hoc, fateor, ſed non obſtat, quin contra auctoritatem Reiskii in Repertorio XVIII. p. 39. Zengidae numum vindicem. A Saladino numos figuris ornatos in Aegypto probabiliter excuſos non fuiſſe, infra monſtrabimus. At princeps Muſulenſis maioris obſequii ſignificandi cauſſa, invitus an ſponte non dixerim, omiſſo ſuo nomine, ſolum victoris nomen in numis ſuis celebrare voluit.

LXIII. B.

Numus aeneus Bedr-ed-dini, principis Muſulae, anni incerti. ined.

I. Caput, ut videtur, e numo quodam Romano transſcriptum. In margine forte aera, ſed detrita.

II. A. الامام *Imam*
المستنصر *Moſtanſer*
بالله امير *billah, princeps*
المومنين *fidelium.*

M. بدر الدنيا والدين لولو .... الملك الكامل *Bedr-ed-dunia vaddin* (vulgo Bedr-ed-din) *Lulu. Al-malek el-camel.*

Bedr-ed-din Lulu a Chalifa Muſulae praefectus et Sultani diplomate donatus fuit a. DCXXXI. Chalifa tum erat Moſtanſer I, qui ſedem Bagdadenſem occupavit ab a. DCXXIII ad DCXL. Clientes ſe profitebantur principes Muſulenſes Sultanorum Aegyptiacorum, ut ſupra obſervavimus ad numum LXI. Hac de cauſſa nomini Bedr-ed-dini additur in hoc numo nomen regis Aegypti, Al-malek al-cameli, mortui a. DCXXXV. Excuſus igitur eſt numus intra ſpatium annorum DCXXXII ad DCXXXV.

Idem omnino eſt cum numo XXXIX Muſei Cuſici Borgiani, Romae editi, ubi temere tribuitur regi Turcomanorum. Quae ibi ſcripta ſunt, corrigenda ex illis, quae hoc loco adnotavimus.

LXIV. B.

Numus aeneus Bedr-ed-dini, principis Muſulae, anni DCLIV. Chr. 1256.[78]

I. Effigies principis, pedibus decuſſatim inſidentis, manu lunam dimidiatam tenentis. Ad dextram legitur ضرب بالموصل *cuſus*

78) Similis eſt numo XCIX Muſei Cufici Naniani, qui, temere forte, regi cuidam Halebenſi tribuitur.

cusus Musulae. Prope caput ad dextram سنة, ad sinistram اربع, et ad sinistram figurae وخمسين وستماية *cusus Musulae anno DCLIV,* aerae vulgaris 1256.

II. Area: الامام *Imam*

لا الله الا الله (*Non est Deus nisi Deus;*

محمد رسول الله *Muhammed apostolus Dei.*)

المستعصم بالله *Mostaasem billah,*

امير المومنين *princeps fidelinm.*

Pertinet prima linea ad quartam et sequentem.

M. الملك الرحيم بدر الدنيا والدين . . . لولو *Malec er-Rahim, Bedr-ed-dunia vaddin* [h. e. Rex clemens, luna mundi et religionis, vulgo, Bedr-ed-din] . . . *Lulu.* Deest nomen ابو الفضايل *Abu-l-Fadaiel,* quod in numo legi non potest.

Hic Malec er-Rahim Bedr-ed-din Abu'l-Fadaiel Lulu, regnum Musulense adiit, ut supra animadvertimus, post mortem Nasr-ed-dini, ultimi principis e domo Zengidarum. Diu dominatus Musulae fuit et feliciter, primum quidem absque suprema potestate, ut administer heri, Arslanschahi, eiusque filii atque nepotum tutor, donec omnibus extinctis, solus regnaret per annos fere quadraginta tres, et morti succumberet anno DCLVII, Chr. 1258, octuagenario maior. Detrectaverat quoque, ut e numo nostro intelligimus, Sultanum Aegypti, cui Musulenses obsequium praestare solebant. Musulensem principatum reliquit filio Malec es-saleh Ismaêli, altero, Ala-ed-dino, Sangaram, tertio, Seif-ed-dino, Geziram, seu Gezirat-ibn-Omar legavit. Musula deinde a Tataris vel Mogolensibus capta, et sic exstincta fuit haec dynastia.

DYNASTIA ORTOCIDARVM.

Avus principum Ortocidarum fuit الامير ارتك بن اكسك Emir Ortoc, Acſaci filius, dux copiarum Malicſchahi [Abulfeda III. pag. 253]. Hic a. CCCCLXXVII in ſtipendia Tanaſchi concedens, virtutis praemium ab eo accepit Hieroſolymam, quam usque ad mortem ſuam h. e. ad a. CCCCLXXXIV tenuit. Reliquit geminos filios, Ilgazum et Socmanum, qui primum quidem Hieroſolymam gubernabant, deinde autem, a. CCCCLXXXIX illinc eiecti ab Emir el-Goiuſch Afdal, copiarum Miſrenſium duce, in tractum Euphratis et Meſopotamiae abibant [Abulfeda l. c. p. 281], et Socman quidem Edeſſae, tum Diar-becri verſabatur, Ilgazi autem in Iracam ſe convertebat [ibid. p. 319. 337]. Ille, Socman, a. CCCCXCV a Muſa aliquo, Turcomano, novo Muſulae domino, opitulator contra rebelles vocatus, Heſn-Caifam, veterem huius provinciam, accipit [ib. pag. 337]. Ilgazi autem Maredinam occupat ibique regni ſui ſedem figit [ib. p. 351]. Oriebantur hoc modo duae Ortocidarum dynaſtiae, una Maredini, altera Heſn-Caifae, cui Amida deinceps, aliaeque urbes addebantur. Reges utriusque ſunt ſequentes.

Ortocidae Maredinenſes.

Ilgazi f. Ortok, ob. a. 516.

Huſam-ed-din Timurtaſch, fil. Ilgazii, fil. Ortok, ob. a. 547. Huic ſucceſſit filius

Nagm-ed-din Alpi, qui quo anno regno deceſſerit, ignotum. Abulf. IV. p. 65.

Cotb-ed-din Ilgazi [Abulfaragius temere Ibn-Ilgazi] fil.

Ortocidae Heſn-Caifae et Amidae.

Socman fil. Ortok, obiit a. 498.

Ibrahim fil. Socman. Abulfeda T. III. p. 351. Quamdiu regnaverit, incertum. Veriſimile, ei mox ſucceſſiſſe fratrem

Davudum. Neque, quo anno

Ortocidae Maredinenſes.

fil. Nagm-ed-dini, obiit 580. Huius filius

Huſam-ed-din Buluc [Abulfar. Iuluk] Arſlan, ſub tutela Nattam-ed-dini princeps renunciatur, eoque mortuo frater minor

Naſr-ed-din [Abulfar. temere Cotb-ed-din] Ortoc Arſlan, qui moleſtae tutelae ſe eximit anno 601. Ob. 636 vel 637. Poſt hunc ordine ſequuntur apud Damaſcenum:

Malek es-Said Nagm-ed-din Gazi fil. Ortoc Arſlan, ob. 653.

Malek el-Modaffer Cara Arſlan, antecedentis filius ob. 691.

Schams-ed-din Davud, antec. fil. ob. 692.

Malec el-Manſur Nagm-ed-din Gazi, anteced. frater ob. 712.

Malek es-Saleh Schams-ed-din, praeced. fil. ob. 766.

Malec el-Manzur Ahmed, praeced. fil. 769.

Malek es-Saleh Mahmud,

Ortocidae Heſn-Caifae et Amidae.

anno hic mortuus ſit, adnotatum reperi. Hunc ſecutus eſt

Fachr-ed-din Cara Arſlan, filius Davudi, fil. Socmani, fil. Ortok. Obiit anno 562, ſucceſſorem relinquens filium

Nur-ed-din Mahmud. Abulf. l. c. pag. 605. Alio loco tamen rectius ab Abulfeda nominatur Nur-ed-din Muhammed, T. IV. pag. 51. 67. ita quoque ab Abulfaragio. Huius dominio addebat Saladinus a. 579 urbem Amidam. Abulf. Tom. IV. pag. 55. 57. Obiit anno 581, eique ſucceſſit filius

Cotb-ed-din Socman. Abulfeda l. c. pag. 67. Mortuus anno 597, regnum reliquit filio

Malec es-Saleh Naſr-ed-din Mahmudo, qui anno 618 aut 619 obiit. Abulfeda. Succeſſit ipſi filius

Malec el-Maſud, quem Malec

Ortocidae Maredinenſes.

mud, antec fil. regnavit quatuor menſes.

Magd-ed-din Iſa, antec. fil. ultimus Ortocidarum, pulſus a Mamlucis.

Ortocidae Heſn-Caifae et Amidae.

Malec el-Camel, Aegypti rex, ob infames eius mores, regno exuit, et Amidam et Heſn-Caifam ſui iuris fecit anno 629. Abulf.

Tantum proluſionis loco de principibus Ortocidis, in quorum et nominibus et hiſtoria multa obſcura et turbata ab auctoribus Arabum reperies. Progredimur ad numos horum principum recenſendos, et quidem primum

NVMOS DYNASTIAE ORTOCIDARVM MAREDINAE.

LXV B.

Numus aeneus Nagm-ed-din Alpii, poſt a. DLV.

I. Caput imberbe, antiis, ut videtur, ornatum, ſine dubio ad numum aliquem graecum efformatum. In margine leguntur: نجم الدين البي بن ايل غازي . . . . . ملك ديار بكر *Nagm-ed-din Alpi, filius*, rectius nepos, *Ilgazii . . . . rex Diarbecri.* Solent nimirum Arabes in genealogiis membra quaedam omittere, et ſic nepotem interdum avi filium appellare.

II. Capita duo coronata, e graeco quodam numo forte deſcripta. In ſummo et imo margine legitur formula illa ſollemnis لا اله الا الله محمد رسول الله *Non eſt Deus niſi Deus, cuius apoſtolus eſt Muhammed.* Ad dextram nomen المجد الدين *al-Mogd-ed-din*, vel, ſi mavis, formula: الحمد لله *Al-hamd lillah*, h. e. *Laus Deo!* Praefero priorem interpretationem, et nomen eſſe puto alicuius praefecti provinciae, vel Veziri in aula Nagm-ed-dini. Quae ad ſiniſtram exarata ſunt, et ad nomen Mogd-ed-dini pertinere videntur, extricare non potui.

Hactenus

Hactenus ſcripſeram, cum iterum iterumque tractato numo feliciter verba illa ad ſiniſtram indagarem, امير المومنين Nomen igitur aliud eſſe non poteſt, quam المستنجد بالله امير المومنين *al-Moſtanged billah, princeps fidelium*, nomen Chalifae Bagdadenſis, cuius auctoritatem agnoſcebat Ortocida. Tam facile eſt, in his tenebris errare!

Regem Diarbecri ſe profitetur Nagm-ed-din in hoc numo. Hoc titulo gaudent omnes principes Ortocidae, Ilgazii poſteri, quorum regia erat urbs Mardin. Amidam huius provinciae capitalem eſſe dicunt: quae tamen ab altera Ortocidarum ſtirpe, Socmani poſteris, occupata fuit.

Aera in numo expreſſa non legitur. Sed poſt annum DLV excuſus eſſe debet, quo Moſtanged Chalifa proclamatus fuit.

Eiusdem numi ſatis accuratam delineationem habes in opere Niebuhriano, Deſcription de l'Arabie Tab. X. n. 8. e qua ſuppleantur, quae in noſtro numo detrita ſunt, in antica parte, nimirum, ابن ارتق *filius Ortoki*, inſerenda poſt Ilgazi, „Nagm-ed-din Alpi, fil. Ilgazii, fil. Ortok, rex Diarbekri.„ Deſcripſit eundem numum Reiskius in repertorio bibl. et or. T. XVIII. pag. 27. 28. ſed Chalifae nomen legit, al-Moſtadi billah (pro al-Moſtadi beamr allah, quod verum eius nomen fuit), in cuius locum equidem ſubſtitui al-Moſtanged billah.

LXVI. B.

Numus aeneus Cotb-ed-din Ilgazii, anni incerti.
Exempla duo.

1. Caput imberbe, iuvenile, e graeco quodam numo optime transſcriptum.

Quae in ſummo margine exarata ſunt, lectu difficilia. Infra clare legitur تمرتاش بن, ad ſiniſtram ايل غازي, ad dextram ابن ارتق, quae omnia exhibent nomina anteceſſorum huius Ortocidae, qui numum excudi curavit, cum titulo poſticae partis

tis iungenda. Latine: (filii) *Timurtaſchi, filii Ilgazii, filii Ortok.* Deeſt unum nomen, patris nimirum noſtri Ortocidae, qui appellabatur Nagm-ed-din Alpi. Num forte verba illa lectu difficilia legenda ſint, بن البي بن *filius Alpi, filii* (Timurtaſchi rel.)? Reiskius in repertorio ſaepius laudato T. XVIII. p. 44. omiſit بن poſt تمرتاش, et ſic titulum interpretatur, „Ilgazi, filius Alpii, filii Timurtaſchi, filii Ortok„ ut ſit nomen huius ipſius principis, qui numum edidit: ſed temere.

II.	ايل غازي	*Ilgazi.*
	لمولانا الملك العا	*Principi noſtro, regi*
	العادل قطب الدين	*iuſto, Cotb - ed - din,*
	ملك الامراء شاه	*regi principum, Schah*
	ديار بكر	*Diarbekri.*

Obſervanda in hoc titulo, primam lineam pertinere ad titulum anticae partis, hoc modo nunc legendum: „Ilgazi (nomen erat Cotb-ed-dini) filius Alpii, filii Timurtaſchi, filii Ilgazii, filii Ortok.„ porro, quatuor ultimas litteras in ſecunda linea العا initium eſſe vocis العادل quae in ſequente linea, cum in antecedente locum non inveniret, plena iterum exhibetur, more Orientalium conſueto; denique Schah perſicam eſſe vocem, magnum principem innuentem, cuius loco alias titulo بادشاه Padiſchah uti ſolent.

Aera in hoc numo expreſſa non eſt. Videtur a magnatibus, vel a praefecto quodam provinciae in honorem Cotb-ed-dini excuſus eſſe; et hanc ipſam ob cauſſam omiſſum nomen Chalifae Bagdadenſis, cuius auctoritatem agnoſcebant Ortocidae.

Recenſetur idem numus in repertorio biblico et orientali T. XVIII. p. 44. Delineationem eius exhibet cl. Niebuhr in deſcriptione Arabiae Tab. X. n. 9.

LXVII.

LXVII. B.

Numus aeneus Cotb-ed-din Ilgazii, a. DLXXIX. Chr. 1183.

I. Capita duo, originis graecae, quae Iſaacum Angelum Comnenum eiusque filium Alexium vel, ut mavult Barthelemius,[79] Heraclium I. et Heraclium Conſtantinum, in archetypo forte repraeſentarunt.

In margine legitur aera: ..... خ تسع سبعين h. e. (anno) DLXXIX, vel aerae vulgaris 1183.

II. A.

الناصر الدين	*Naſer-ed-din*
امير المومنين	*princeps fidelium.*
هذا الدرهم	*Haec drachma*
ميعفرقين ...	*Miafarekini*
....	(excuſa)

M. قطب الدين نجم الدين حسام الدين *Cotb-ed-din* (filius) *Nagm-ed-dini* (filii) *Huſam-ed-dini.*

Omiſſa eſt vox بن filium notans, quae in aliis quoque numis interdum omittitur. Litterarum forma ad recentem Arabicam proxime accedit, adeo ut littera Sin iam formam lineae rectae — habeat, in vocibus تسع et حسام, quae non niſi in recentioribus libris manu ſcriptis animadvertitur.

Incertus ſum de explicatione ultimarum vocum in area poſticae partis. Si iuſta ſunt, quae ſupra dedi, excuſus eſt numus Miafarekini, urbe ditionis Ortocidarum, quae tempore quidem Ilgazii paruit Solimano cuidam, illius affini, deinde autem regno principum Maredinenſium ſine dubio adiuncta fuit.

Nomen Chalifae Naſeri, (qui hoc loco Naſer-ed-din appellatur pro Naſer ledin allah,) more ſolito coniungitur cum nomine principis: ille regnare coepit Bagdadi a. DLXXV.

Lau-

79) Memoires de l'Academie des Inſcriptions T. 26. p. 563.

Laudant eundem numum Reiskius in repertorio T. XI. p. 10. T. XVIII. p. 44. et Deguignes in hiſtoria Hunnorum;[80] delineationem ſimul exhibent Barthelemius l. c. et Muſeum Pembrochianum P. II. Tab. 91. n. 1. Quam Barthelemius in ſuo exemplo obſervavit vocis بن filii expreſſionem poſt nomina Cotb-ed-din et Nagm-ed-din, in meo certe deſideratur. Neque سبع ſeptem, ut vult idem auctor, ſed تسع novem clare exprimitur in hoc exemplo, quam ob rem illud cum Reiskio anno DLXXIX vindicare non dubitavi.

LXVIII. B.

Numus aeneus Huſam-ed-dini Buluc Arſlan, intra annos DLXXX et DLXXXIX. Chr. 1184 et 1193.

1. Capita duo, unum maius, imberbe, alterum minus, coronatum, patris et filii, ut videtur, originis Romanae vel Graecae.

In margine: حسام الدين ملك دياربكر *Huſam-ed-din rex Diarbekri.*

II. الملك الناصر *Al-malek en-Naſer*
صلاح الدين *Salah-ed-din* [h. e. Saladin]
علي دولة *praefectus dominio*
امير المومنين *principis fidelium,*
ad dextr. يوسف *Ioſephus,*
ad ſiniſt. بن ايوب *filius Iobi.*

Primus, qui huius numi mentionem fecit, eſt Morellius in ſpec. rei numariae c. I. p. 230; ſed falſam tituli explicationem ab Arabe quodam acceperat. Meliorem eius interpretationem cum delineatione dedit Barthelemius,[81] omiſſa tamen illa voce, quae دولة praecedit, quam minus recte legerat بني pro علي. Reiskius duo ante oculos habuit eiusdem numi exempla,

80) Hiſtoire générale des Huns T. I. P. I. p. 250.

81) Memoires de l'Academie des Inſcriptions T. 26. p. 572. et Tab. II. n. 17.

exempla, ſed neque hic vocem illam ſubobſcuram expedire potuit.[82] Eandemque praeteriit Deguignes in hiſtoria Hunnorum,[83] ubi titulum numi ad exemplum muſei Regii laudat. Recte autem voces dubias legit Aſſemanius in Muſeo Naniano pag. XXXIII.

Sed illuſtrandus nunc eſt hic titulus. Al-Malec en-Naſer h. e. dux adiuvans vocatur Saladinus. Hunc titulum honoris acceperat a Chalifa Aegyptiaco, Adedo, cum in munia ſucceſſiſſet patrui Aſad-ed-dini Schircuhi, qui poſt expugnatam Aegyptum omnia ex ſuo arbitrio, ut ſupremus Chalifae Vezirus, adminiſtraverat. Praefectum porro ſe nominat dominio principis fidelium. Commodam enim occaſionem nactus Saladinus mox totum Chalifarum Alidarum imperium in Aegypto evertit, nomine adeo eorum in precibus publicis et in numis deleto, cuius in locum Abbaſidarum nomen ſubſtituit. Hoc factum anno DLXXVII, Chr. 1171, ex quo tempore Saladinus ſolus et cum ſumma poteſtate Aegypto, dominio quondam Chalifarum Alidarum, praefuit.[84] Facile ex his intelligitur, quid ſibi velit illud: praefectus dominio principis fidelium. Dubito tamen, iubente vel annuente Saladino haec exarata fuiſſe in numo: ſed potius honoris et reverentiae cauſſa ab Ortocida, qui numum excudi curavit, nomini Saladini, protectoris et vicini quam maxime formidabilis, adiecta videntur.[85]

82) Vid. Repertorium ſaepius laud. T. XVIII. p. 46.

83) Hiſtoire générale des Huns T. I. P. I. p. 250.

84) Abulfedae annales T. IV. p. 609 ſeqq. Abulfaragii hiſtoria dynaſtiarum p. 264 ſeqq.

85) Adnotatum quidem non legi ab hiſtoricis, Ortocidam noſtrum clientem Saladini ſe profeſſum eſſe, quod tamen e numo patet. Sed Damaſcenus refert in hiſtoria univerſale: وكان بينه وبين ايوب ملك مصر حروب كثيرة الي ان هلك "multa geſſit bella Huſam-ed-din cum Iobita [Saladino] rege Aegypti, usque ad interitum ſuum."

Ceterum cuſus eſt numus intra annos DLXXX, quo regnum adiit Huſam-ed-din, et DLXXXIX, quo morti ſuccubuit Saladinus.

LXIX. B.

Numus aeneus Naſer-ed-din Ortok Arſlani.
anni incerti, ineditus.

I. Effigies principis, originis, ut videtur, Romanae vel Graecae, ſed male in hoc numo reddita. Cingit effigiem titulus: ناصر الدين ارتق ارسلان *Naſer-ed-din Ortok Arſlan.*

II. Averſa pars numi variis lineis in formam ſtellae ſexangulae circumplicatis ornata, ſequentes exhibet titulos. In area:

الله
الامام الناصر
لدين امير المو
منين

hoc ordine legenda: الامام الناصر لدين الله امير المومنين *Imam Naſer ledin allah, princeps fidelium.*

In angulis: ضرب . . . . . مايه *Cuſa* . . . . (quinqua- vel ſexa-) *geſimo.* Reliqua detrita.

LXX. B.

Numus aeneus Naſer-ed-din Ortok Arſlani,
ſine dubio a. DXCIX Chr. 1202. ined.

I. Figura principis, detrita. In margine legitur: الملك الاشرف بن الملك العادل *Al-malek el-aſchraf, filius al-malek el-adeli.*

II. Figura ſtellae triangularis, in cuius area ſine dubio legebatur nomen Chalifae, cuius veſtigia tantum ſuperſunt in priore linea: الامام الناصر *Imam Naſer.* In angulis:

الملك العاد — *Al-malek el-A-*
ل سيف الدين — *del Seif-ed-din*
ابو بكر بن ايوب — *Abu-bekr f. Iobi.*

Ad

Ad Ortocidas, et quidem ad Naſer-ed-dinum Ortok Arſlanum, referendum puto hunc numum, licet nomen eius non exhibeat. Magna enim non modo ſimilitudo intercedit inter hunc aliosque numos, qui e moneta Maredinenſe prodierunt, e. c. proxime antecedentem, ſed hiſtoria quoque huius numi originem egregie illuſtrat. Al-malek al-aſchraf enim, filius Al-malek ad-adeli, Aegypti regis e poſteris Saladini, iuſſu patris Maredinam obſidione cinxit anno DXCIX, Chr. 1202. Intercedente tamen Al-malek ed-Dahero, Halebenſe, obſidio ſolvebatur, et pax coaleſcebat inter principem Aegyptium et Maredinenſem, ea conditione, ut hic Adelo centum et quinquaginta millia numorum aureorum ſolveret, et eius nomen in precibus publicis celebrari numisque ſuis inſcribi curaret. [Abulfedae annales T. IV. p. 201. Abulfaragii hiſtoria dynaſtia- pag. 280.] Hoc eodem anno, ſtatim poſt ſolutam obſidionem, excuſus ſine dubio eſt noſter numus, et praeſente adhuc victore, Aſchrafo, non Adeli tantum nomine, ſed honoris gratia ipſius quoque Aſchrafi, condecoratus, omiſſo adeo, quo humiliorem ſe monſtraret Maredinenſis, huius nomine atque titulo, quae alias victoris vel patroni commemorationi addi ſolebant.

LXXI. B.

Numus aeneus Naſer-ed-din Ortok Arſlani, a. DCV. Chr. 1208. ined.

I. Figura animalis, monſtro magis quam iumento ſimilis, cui inſidet homo, manibus elatis. In margine legitur ناصر ... الدين ارتق ارسلان ملك ديار بكر ... *Naſer-ed-din Ortok Arſlan, rex Diarbekri.*

II. A. الامام الناصر *Imam Naſer*
لدين الله امير *ledin allah, prin-*
المومنين *ceps fidelium.*

Nomen Chalifae Bagdadenſis.

M. الملك العادل سيف الدين . . . ضرب بماردين سنة tum in margine interiore خمس وستّ مايةٔ h. e. *Al-malek al-adel Seif-ed-din . . . Cuſus Maredini anno DCV.* Chr. 1208. De iure Adeli, Aegypti regis, nominis ſui pecuniae Maredinenſi incudendi, vide ad numum antecedentem.

LXXII. B.

Numus aeneus Naſer-ed-din Ortok Arſlani, a. DCXV. Chr. 1218. ined.

I. Eadem figura, quae in antecedente cernitur, capite tamen iumenti ad alteram partem, dextram nimirum, converſo. Infra legitur ناصر, ſupra الدين, nomen *Naſer-ed-dini.*

II. In area litteris arte connexis variisque ductibus ornatis exaratum legitur: الملك الصالح *Al-malek es-Saleh*
. . . . . Reliqua evanuerunt.
In margine: الناصر . . . سنة خمس عشر وستماية *An-Naſer . . . anno DCXV,* aerae vulg. 1218.

Hoc eodem anno mortuus erat die ſeptimo ſexti menſis Malek al-adel, Aegypti rex, cuius nomen Ortocidae in numis celebrare ſolebant, ut ſupra vidimus. Regnum diviſum fuit inter filios eius, quorum unus, Malek es-Saleh Iſmaël, Baſram primum tenuit, deinde autem, fratre, Camelo, ex Aegypto eiecto, regnum Aegyptiacum adiit.[86] Quo anno Aegyptum occupaverit, ab hiſtoricis traditum non legi. Sed ex hoc numo colligas, illud iam factum eſſe eodem, quo pater obierat, anno: niſi forte Ortocida inter fratrum de ſucceſſione ſuborta diſſidia, huius Al-malek es-Saleh clientem ſe profeſſus ſit, antequam Aegyptum adiret. Illud ſemper ex hoc numo efficitur, Salehum eadem iura in Ortocidam excercuiſſe, quae olim pater Adel habuerat.

Tantum de numis Maredinenſium. Sequuntur nunc

NVMI

86) Abulfeda ad h. a. Abulfaragius p. 288. Herbelot, titulo Saladin.

NVMI DYNASTIAE ORTOCIDARVM CAIFAE ET AMIDAE.

LXXIII. B.

Numus aeneus Nur-ed-dini Muhammedis, inter a. DLXXV et DLXXXI. Chr. 1179 et 1185.

I. Caput, nitidiſſime praeter morem ſolitum exſculptum, ad exemplum numi alicuius graeci.

Titulus in margine detritus.

II. A. ملك الامرا عين — *Rex principum, oculus*
العدل نور الدين — *iuſtitiae, Nur-ed-din*
محمد بن قرا ارسلا — *Muhammed f. Cara Arſ-*
ن بن ارتق نصر — *lani f. Ortok, defenſor*
الامام الناصر — *Imami Naſeri*
لدين الله — *ledin allah.*

In margine, ni fallor, ملعون من *maledictus, qui* . . . Cetera deſunt. Verſus forte aliquis Corani.

Numus ſingularis, uberiore commentario dignus.

Vindicat primum ſibi princeps nomen Muhammedis, cuius loco Abulfeda, ut ſupra iam animadvertimus, Mahmudi nomen ei temere tribuerat.

Deinde tam ſuperbos, et inauditos nomini ſuo addit titulos, ut maximum potentiſſimumque eo tempore regem fuiſſe crederes. Singulos ſeorſim examinare iuvat.

Malec el-omara h. e. Rex principum audit Nur-ed-din. Titulus honoris, hiſtoricis prorſus ignotus. Dignitate quidem et nomine Emir el-omara h. e. principis principum condecoratos fuiſſe ſummus Chalifarum adminiſtros et copiarum duces, ſcimus, ſed de rege principum nihil usquam legimus.

Aeque

Aeque insolitus est alter ille titulus, oculus iustitiae, h. e. iustitiae strenuus observator et vindex.

In tertio paronomasia est, ab Orientalibus perquam amata. Arabice audit: Nasr el-Imam en-Naser ledin allah, h. e. defensor Imami (h. e. Chalifae) legem divinam defendentis.

Tales interdum titulos principibus honoris caussa tributos fuisse a Chalifis, ex aliis exemplis patet. Ita Adelum, Aegypti regem, ab eodem Chalifa, cuius nomen in hoc numo celebratur, titulis, Malek el-Moluk, h. e. regis regum, et Chalil Emir el-mumenin, amici principis fidelium, ornatum fuisse legimus in annalibus Abulfedae T. IV. p. 223. 225. Eodemque titulo amicis principis fidelium cohonestatum fuisse Saladinum, illius fratrem, a Chalifa Mostadio, refert Maraï, tum quum finem fecisset Fatemidarum dynastiae et Abbasidam publice Chalifam legitimum agnovisset.

Vtinam de historia Ortocidarum plura et certiora haberemus, ut, qua occasione superbos illos titulos a Chalifa Bagdadensi acceperit regulus Hesn-Caifae, intelligeremus. Sed, qui historiam universalem tractant, auctores Arabes, toti sunt in rebus gestis Saladini hoc tempore enarrandis, et reliqua leviter vix attingunt: specialis autem Ortocidarum historia, si quidem existit, in scriniis Bibliothecarum vel in Oriente adhuc latet. Potuit tamen Nur-ed-din, vel inscio et invito Chalifa, imbecillitate eius abusus, tales honorum titulos ex arrogantia et fastu sibi vindicare, et successorem quoque, Cotb-ed-dinum, titulum معين الامام الناصر adiutoris Imami Naseri in numo quodam usurpasse legimus. [87]

Eundem numum e museo Naniano refert Assemanus, [88] sed adeo prave delineatum, ut vix cognoscatur. Temere priora verba

87) Recenset hunc numum Reiskius in repertorio bibl. et orient. P. XI. p. 11. 12.

88) Museo Cufico Naniano N. XXXVIII. p. xxxiii. Museum Cuficum Borgianum p. 67.

verba legit cl. auctor الملك الامام احمد العادل Rex Imam Ahmed iuſtus, poſteriora omittit. Et haec quoque ab alio horum numorum peritiſſimo iudice, Reiskio, non bene ſunt percepta: legit enim بضرب امير المومنين [89] quae, aeque ac illa, nihili ſunt. Tandem titulus numi XL Muſei Cufici Borgiani, eiusdem principis, a me olim illuſtratus, ad hunc noſtrum ſuppleatur hoc modo: ملك الامرا نور الدين بن قرا ارسلان Rex principum, Nur-ed-din, filius Cara Arſlani.

Quo loco, et quo anno excuſus ſit numus, in noſtro, ubi margo adverſae partis detritus eſt, non legitur. Sed recte Aſſemanus in exemplo Naniano animadvertit verba بسم الله ضرب بحصن In nomine Dei excuſus Heſn-Caifae, quae arx regia fuit Ortocidae. Inter annos autem DLXXV et DLXXXI excuſus fuit, illum, quo Chalifatum adiit Naſer, hunc, quo obiit Nur-ed-dinus.

LXXIV. B.

Numus aeneus Nur-ed-dini Muhammedis, a. DLXXX. Chr. 1184. ined.

I. Figura hominis, centauro, vel monſtro inſidentis, manumque attollentis, peſſime picta.

II. A. را عين . . . . . *Rex principum, oculus*
العدل عماد الدين *iuſtitiae, columna fidei,*
. . . دين بن قرا ارسلا *Nur-ed-din f. Cara Arſ-*
. . . . . تق نصر *lani f. Ortok, defenſor*
. . . . . م الناصر *Imami Naſer* (defenſoris)
. . . . الله *Iedin allah* (religionis)

In margine وثمانين Cetera deſunt. Indicant an. DLXXX Chr. 1184.

Hic

89) In alio huius Nur-ed-dini numo, laudato in repertorio T. XVIII. pag. 35.

Hic novum adhuc ceteris addidit titulum princeps grandiloquus, Omad-ed-din h. e. columnae fidei, titulum, in hiſtoria Zengidarum, vel Atabekorum celebratum.

LXXV B.

Numus aeneus Cotb-ed-din Socmani,
a. DXCIV. Chr. 1197. ined. Exempla duo.

I. Effigies principis alicuius, galeati, manu baculum vel ſceptrum tenentis.

M. سنة اربع وتسعين وخمسماية *Anno DXCIV*, h. e. 1197.

II. A. الملك المسعود *Al-malek al-Maſud*
قطب الدين سكمان *Cotb-ed-din Socman*,
بن محمد بن قرا *fil. Muhammedis, f. Cara*
ارسلان *Arſlani.*

M. الامام الناصر امير المومنين *Imam Naſer, princeps fidelium.* Chalifa Bagdadenſis.

Intelligimus ex hoc numo, huic Cotb-ed-dino idem cognomen al-malek al-Maſudi fuiſſe, quod nepoti tribuitur ab hiſtoricis et in numo noſtro LXXVIII. Nullus huius principis numus hactenus innotuit: aeque rarus igitur atque nitidus eſt.

LXXVI. B.

Numus aeneus al-Malek es-Saleh Naſr-ed-dini,
ante a. DCXV. Chr. 1218. ined.

I. Duplex aquila, inſigne Romani Imperatoris. In margine legiur ضرب بالحصن سنة ٦١٥ *Cuſus in Heſn* h. e. in caſtello *anno DCXV.*

II. A. الملك الصالح *Al-malek es-Saleh*
محمود بن ارتق *Mahmud Ortocida.*
الملك العادل *Al-malek el-adel*
ابو بكر *Abu-Becr.*

M.

M. الامام الناصر امير المومنين *Imam Naſer, princeps fidelium.*

Varia in hoc quoque numo obſervatione digna ſunt. Aera non exprimitur nominibus numeralibus, ut in aliis numis, ſed cifris, de quarum origine videſis, quae adnotavimus ad muſeum Cuficum Borgianum p. 37 ſeqq. Excuſus eſt numus بالحصن in Heſn h. e. in caſtello. Sed quonam? Non poteſt non eſſe aliud, quam Heſn Caifae, caſtellum vel caſtrum Caifae, ubi regiam ſuam habuere principes Ortocidae de ſtirpe Socmani: mireris tamen, hunc locum, omiſſo proprio nomine, caſtellum ſimpliciter appellari. Rem illuſtrat Aſſemanius in bibliotheca orientali, Tom. III. P. II. p. DCCLVI. ubi inter urbes epiſcopales Neſtorianorum hanc quoque Heſnam recenſet: „Haſan Cepha, inquiens, vel Heſan Chepha, حصن كيفا, *alias Heſna* حصنا *et Heſn* حصن urbs in Meſopotamia ad Tigrim inter Gezertam et Maiafarekin, olim epiſcopalis ſub Metropolitano Niſibeno, poſtea Metropolitanis privilegiis donata.„ De eadem urbe verbis Ioannis Sulacae, Chaldaeorum patriarchae, alio loco, T. I. pag. 525. b. narrat, eam munitiſſimam eſſe, foro rerum omnis generis venalium florentiſſimam, ſupra Tigris Inſulam rupi aſperae impoſitam. Cavendum igitur, ne confundatur cum alio oppidulo, eiusdem fere nominis, *Caipha* ſcriptoribus belli ſacri, Wilhelmo Tyrio *Porphyria* veterum: huius enim urbis nomen arabice ſcribitur خيفا, latine potius ſcribendum *Chaifa*, et ſita eſt non procul ab Acca vel Ptolemaide, ad radicem montis Carmeli. De qua Golius ad Alferganum pag. 132.

In averſa parte numi praeter nomen principis regnantis, nomenque Chalifae Bagdadenſis, Naſeri, honoris cauſſa laudatur Al-malek el-adel Abu-Becr, Saladini frater, Rex Aegypti et Syriae. Solebant reguli orientales nomen illius, cuius clientes ſe profitebantur, imperatoris, victi victoris, infirmi et vacillantes vicini fortioris, numis ſuis incudere, eoque obſequium illi praeſtandum publice ſignificare. Tale obſequium a

domino Hesn-Caifae praestitum fuisse Adelo, Aegypti regi, eidem, quem patronum agnovisse alterum Ortocidarum principem, Maredinae regnantem, supra vidimus ad numum LXX, e titulo huius numi intelligitur. Et revera accessisse nostrum al-Malek es-Saleh ad partes Adeli, cum hic traiecto Euphrate, copiisque coactis consideret apud Harranam anno DCVI, refert Abulfeda in annalibus T. IV. p. 237. Vnde historicis quoque hic numus non contemnendum erit monumentum.

Sed maioris etiam momenti foret, si de figura duplicis aquilae, qua ornatur, eiusque origine et caussa certa quaedam proferre possemus. Quae quidem ea esse non potest, quam ut probabilem affert Reiskius (in repertorio T. XI. pag. 22.), quod rex Ortocida hac inventione Imperatori Friderico II de adventu in orientem gratulari voluerit. Fridericus enim in orientem venit anno fugae DCXXVIII, princeps noster autem obiit a. DCXVIII. Neque ita obstrictum fuisse puto Ortocidam Imperatori, ut obsequii caussa insignia eius numis suis incudi curaret. Sed pluribus de his infra.

Denique id tenendum, numum excusum esse ante annum fugae DCXV; eo enim diem obiit supremum rex Aegypti, Adel.

LXXVII. B.

Numus aeneus al-Malek es-Saleh Nasr-ed-dini, a. DCXVII. Chr. 1220.

I. Duplex aquila, ut in praecedente numo, sed male formata. Variis ductibus ornamenti caussa cingitur figura, qui duas formant inscriptionis lineas. Inferior legenda: الملك الصالح ناصر الدين محمود بن محمد . . . (Reliqua desunt.) h. e. *Al-malek es-Saleh, Naser-ed-din* [h. e. rex pacificus, defensor fidei, titulus huius principis] *Mahmud fil. Muhammedis.*

II. Hexagonum, in cuius area legitur,

الملك *Al-malek*

الكامل *al-Kamel.*

In

In angulis ضرب بامد سنة سبع عشر وستماية *Cuſus Amidae, anno DCXVII*, h. e. 1220.

In margine الناصر احمد . . . ناصر الدين *Naſer-ed-din . . . en-Naſer Ahmed*, quae, quid ſibi velint, ignoro.

Intelligimus ex hoc monumento, Malek al-Kamelum, qui poſt patris Adeli, in ſuperiore numi memorati, obitum, Aegypti imperium adiit, eanden, quam pater, in Ortocidam noſtrum auctoritatem retinuiſſe, ut nomen eius in huius numis homagii cauſſa celebraretur.

Amida, ubi excuſus eſt numus, urbs eſt Meſopotamiae, ad Diar-Rabiam, non autem, ut volunt alii, ad Diar-becrum, pertinens (Diar-beker enim obedibat Ortocidis e ſtirpe Ilgazii, quorum regia erat Maredinum), ſita in occidentali Tigridis ripa, non procul ab Heſn-Caifa, exſtructa quidem petroſo loco, ſed ſolo aequabili et frugifero circumdata. Deſcriptionem urbis lectu dignam tradit Golius ad Alferganum pag. 239 ſeqq. Hiſtoriam eiusdem eccleſiaſticam habet Aſſemanus in bibliotheca orientali T. I. in diſſertatione de Monophyſitis, voce *Amida*, et T. III. P. II. pag. DCCXVII. Brevibus hoc loco attingere iuvat, reſtauratam fuiſſe a Conſtantio Conſtantini filio anno Graecorum 660, ab Hunnis vaſtatam a. Gr. 706, expugnatam a. Gr. 814, redemptam a Romanis biennio poſt, captam deinde ab Arabibus anno Heraclii XXIX. Ab Abulfeda T. III. p. 199 ad annum Arabum CCCCLV, Chr. 1063, laudatum reperio Saïdum aliquem, filium Naſr-ed-daulae Ahmedis, filii Marvani, Amidae et Diarbekri hoc tempore dominum. Occupata denique fuit a Saladino a. fugae DLXXIX et dominio principis Heſn-Caifae Ortocidae adiecta: e quo tempore reguli Ortocidae mox Caifae, mox Amidae regiam habuerunt.

Idem numus, ſed male deſcriptus, recenſetur in repertorio orientali T. XXVIII. p. 64. Certe non tribuendus eſt Camelo, Aegypti regi, ſed noſtro Naſer-ed-dino, cuius nominis veſtigia

vel in prava interpretatione ſuperſunt. Vnde non recte ſe habent, quae ex hoc numo efficere et concludere tentat cl. Eichhorn in eodem repertorio T. X. p. 183.

LXXVIII. B.

Numus aeneus al-Malek al-Maſudi,
a. DCXXI. Chr. 1224.

I. Eadem aquilae figura, quam proxime antecedens numus exhibet, circulo incluſa. Circulum ambit quadrum, in cuius angulis legitur: ضرب بامد سنة ٦٢١ *Cuſus Amidae anno DCXXI.*

In margine: ... الملك المسعود ركن الدين مودود *Al-malek el-Maſud Rocn-ed-din Maudud* ... De ultimo verbo dubius haereo. Cetera deſunt.

II. Area, ut in antica parte, circulum et quadrum exhibet: in circulo legitur: الملك *Al-malek*
الكامل *al-Kamel.*
In angulis veſtigia linearum apparent, quae verbane fuerint, an ornamenta, non dixerim.

In margine: .... لا اله الا الله محمد رسول الله الامام *Non eſt Deus, niſi Deus, cuius legatus eſt Muhammed. Imam* .... Initium nominis Chalifae Bagdadenſis: cetera detrita.

Celebratur in hoc numo, ut in numis anteceſſoris, nomen Cameli, Aegypti regis. Idem Camel anno DCXXX Ortocidae, pravis eius moribus offenſus, urbem regnumque eripuit, eumque in Aegyptum ſecum duxit, teſte Abulfeda ad hunc annum.

Eundem numum deſcribit Reiskius in repertorio orientali T. XI. pag. 21. 22.

LXXIX.

Numus aeneus duorum Saladini filiorum,
anni DXCVII. Chr. 1200.

Aptiorem huic numo, a Saladini filiis Damaſco ſine dubio excuſo, alium locum dare neſcio, quam in fine diſſertationis

tionis de numis Atabekorum et Ortocidarum, quorum hiſtoriam ſimul illuſtrat.

I. Figura principis, pedibus decuſſatim inſidentis, dextra manu gladium ſtrictum, ſiniſtra caput detruncatum tenentis. Legitur in margine nomen: نور الدين اتابك *Nur-ed-din Atabek.*

II. A. الناصر لدين *En-Naſer ledin*
الله اميـر *allah, princeps*
المـومـنـيـن *fidelium.*

In margine interiore: الملك الافضل علي والملك الظاهـر غازي *Al-malek el-Afdal Ali, et al-malek ed-Daher Gazi.*

In margine exteriore: حسام الدين . . . . ملك ديار بكـر بن ايل غازي بن ارتـق ضرب سنة سـبع *Huſam-ed-din Buluc Arſlan, rex Diarbekri, fil. Ilgazii, filii Ortok. Cuſus anno VII,* h. e. 597. Ob ſpatii defectum reliqua omiſſa ſunt.

Naſer-ed-din in area numi nomen eſt Chalifae Bagdadenſis, qui ab anno DLXXV ad DCXXII regnavit. Afdal et Daher filii ſunt Saladini, ille Miſrae, hic Halebi rex. Nur-ed-din Atabek non eſt ille in hiſtoria cruciatarum celebratus Norandinus, ſed unus e poſteris eius, Nur-ed-din Arſlanſchah, qui Muſulae regnavit annis DLXXXIX ad DCVII. Huſam-ed-din denique, Ortocida, Maredini regnum adierat a. DLXXX.

Iam hiſtoriam numi tradere tentabimus. Conſpirabant illi duo fratres, Afdal, olim ab Adelo Damaſco expulſus, et Daher, in id, ut iniquum patruum Adelum, dum aliis expeditionibus diſtringeretur, Damaſco totaque Syria everterent. Et revera, copiis collectis, iunctisque viribus anno DXCV bis, ſed fruſtra, Damaſcum obſidebant. Redordiebantur obſidionem a. DXCVI ea mente, ut ſi ulterius progredi illis liceret, totam Aegyptum Afdal, totam Syriam Daher, haberent. Damaſci praeſidia tantis viribus cedere cogebantur. Sed diſcordia inter fratres machinationibus callidi ſenis, Adeli, ſeminata, eos diſtrahebat, adeo

adeo ut urbe relicta a. DXCVIII quisque in provinciam suam reverteretur. Damasci igitur iussu fratrum victorum a. DXCVII excusus est numus. Sed quid sibi volunt nomina principis Musulensis Nur-ed-dini, et Maredinensis Husam-ed-dini, in eodem celebrata? Opinor, hos principes opem et auxilium fratribus in supprimendo Adelo, commune regulorum istius tractus terriculamento, condixisse. Historici quidem nihil ea de re diserte tradunt: sed constat tamen e narratione Abulfedae ad annum DC de ira et odio, quo prosecutus fuerit Musulensis Cotb-ed-dinum, Sangarae dominum, quod hic per templa ditionis suae Adelo publice sacramentum dixisset, illum quidem a partibus fratrum, Adeli hostium, stetisse. Ad eosdem quoque accessisse Maredinensem, colligo ex eo, quod Adel sequente statim a. DXCIX imperabat filio suo, Aschrafo, regiam illius obsidione in angustias redigere, quam etiam sui iuris fecisset, nisi idem Daher, fratrum illorum unus, pacem obsesso conciliasset, ea tamen conditione, ut in posterum Adeli nomen numis eius incuderetur. Fuerunt itaque sine dubio hi duo principes inter Emiros illos, quos ad factionem amborum fratrum accessisse legimus in annalibus Abulfedae T. IV. pag. 189.

Ex his, quae de historia numi animadvertimus, figurae quoque in antica parte lucis aliquid accedit. Caput detruncatum alius esse non potest, quam Adeli: quod principum illius factionis unus manu tenet, boni ominis caussa, hoc modo Adelum tollendum esse. Nur-ed-din, qui omnium acerbissimus Adeli hostis fuisse videtur, sibi forte eius trucidandi officium sumsit, eamque ob caussam suum nomen figurae addi curavit.

Laudatur brevibus hic numus a Reiskio in repertorio biblico et orientali P. XI. p. 6. et XVIII. p. 52. delineatur in itinerario Niebuhriano Tab. X. n. 7.

EXCVR-

EXCVRSVS III.

DE NVMIS ARABICIS IMAGINIBVS EXORNATIS.

Memoria dignum visum est numorum Arabicorum indagatoribus, multos inter eos reperiri, qui imaginibus hominum, animalium, aliisque, insolitis ceterum apud Muhammedanos, ornati sint, neque defuerunt ii, qui in eorum originem accuratius inquirentes erudite hanc materiam pertractarunt.[90] Liceat mihi, hoc loco, quae ad rem illustrandam facere mihi videntur, brevi conspectu exhibere.

Illud primum nostris quoque numis confirmatur, quod post Reiskium omnes rei numariae Arabum periti observarunt, numos imaginibus exornatos non ante Saeculum post Christum natum undecimum vel duodecimum apud Muhammedanos comparuisse. Ad hanc enim periodum pertinent omnes huiusmodi numi Arabici, qui nostratibus innotuerunt. Sunt quidem inter Arabum scriptores nonnulli, qui ad priorum usque Chalifarum tempora antiquitatem eorum evehere volunt, sed qui horum auspiciis forte editi sunt numi iconibus ornati, ut noster n. XXVIII, supra laudatus, non quidem in foro versabantur, sed numismata erant, vel numi memoriales.

Porro neque de auctoribus horum numorum dubitari amplius potest, postquam non contemnenda eorum series e tenebris eruta et ab eruditis illustrata fuit. Quos omnes si diligenter contemplor, non possum non statuere, eos a solis Turcicis dynastiis, et quidem a Selgukidis, Atabekis vel Zengidis, et Ortocidis excusos esse. Referuntur quidem nonnulli ad Saladinum eiusque posteros, sed hos sub auspiciis potius principum e domo Saladini a Zengidis vel Ortocidis signatos esse, infra alio

90) In primis cl. Eichhorn in repertorio bibl. et orient. T. X. p. 180 sq. » quo multa me didicisse libere profiteor.

alio loco monstrabimus; quam opinionem neque numus LXXIX modo laudatus evertere mihi videtur, qui praeter Saladinorum titulos, Musulensis quoque et Maredinensis principis nomina celebrat. Iam vero Turcae, origine Nomades et Barbari, cum Muhammedanorum provincias invaderent, horum quidem religionem temporis causa amplectebantur, sed numquam strenui eiusdem asseclae erant, quam ob rem vel in proverbium apud Arabes et Persas abibat: „Turca, licet doctor sit legis Muhammedis, barbarus tamen est et morte tollendus.„ Quid ergo mirum, barbaros hosce principes parum quoque curasse antiquum illum morem, lege pseudoprophetae sancitum, quo procul a fidelium manibus omnes, cuiuscunque generis sint, imagines ablegabantur.

Neque difficile est, occasionem indagare, cui imagines in numis Arabicis originem debent. Mutua nimirum consuetudo hoc tempore intercedebat non solum inter principes Asiaticos, natione Turcas, et Imperatores Graecos, sed in primis quoque inter illos et principes Francos, bellorumque sacrorum duces, qui continuo et eos lacessebant, et ab iis vicissim lacessebantur. Selgukidae cum Imperatore Byzantino saepius collidentes, limites imperii sui ad Constantinopolin fere extendebant. Zengidae aeque ac illi cum Francis multa bella gerebant, quorum quam acerbi fuerint hostes, ex historia bellorum sacrorum ubique apparet, ubi nil frequentius quam Sanguini et Norandini, h. e. Zengii et Nur-ed-dini, memoria. Ortocidae quoque mox amici, mox hostes Francorum se praebebant, principesque Antiochiae et duces Edessae non raro vexabant. Quod autem vulgo accidit, ut victi victorum, et hi vicissim illorum mores imitentur: id idem occasionem praebuit Turcis, pecuniam suam ad exemplum numorum Graecorum Byzantinorumque effingere. Imo arte et prudenter eiusmodi numos excudi curabant, qui inter Christianos aeque ac Muhammedanos versarentur, quorum illi effigies solitas, hi symbolum Muhammedis in iis cognoscerent.

His

His praemiſſis, varia imaginum genera, quae in numis reperiuntur, accuratius examinabimus. Gentes illas barbaras, neque litteris, neque artibus imbutas, bellisque perpetuis implicatas, novae numorum formae inveniendae, imaginumque ad ſuam mentem fingendarum facultatem et otium non habuiſſe, mirum videri non poteſt. Quam ob rem plurimi horum numorum ad exemplum Graecorum, et quidem plerumque invita Minerva, formati ſunt: nonnulli tamen principum Turcarum effigies, vel etiam alias imagines ad hiſtoriam gentis alludentes oſtendunt. Tria igitur imaginum genera formant, quae ſingula ſeorſim exemplis illuſtrabimus.

Ad primum genus pertinent numi noſtri LX. (caput, non, ut ſupra ſcripſi, Romanum exhibens, ſed Parthicum forte) LXIII. LXV. LXVI. LXVII. LXVIII. LXIX. LXXIII. LXXV. Capita, quae in his apparent, interdum ſatis nitide, plerumque tamen rudi manu ſculpta, aperte numis Imperatorum Graecorum aliisque debentur: imo interdum hi ipſi numi in officinis Turcarum recuſi titulisque Arabicis aucti fuerunt, cuius rei exemplum eſſe videtur numus nitidus LXXIII. Talis numus recuſus etiam eſt ille, quem Barthelemius et Aſſemanius exhibent, in cuius adverſa parte figura angeli cum titulo: VICTORIA CONSTANTINI AVGVSTI, in averſa autem nomen Cara Arſlani Ortocidae reperitur.

Secundum imaginum genus Turcarum quidem ingenio debetur, ſed inanis eſt inventiuncula, quae ad hiſtoriam gentis illuſtrandam nihil facere poteſt. Referantur ad hoc numorum genus ii, in quibus princeps Turca pedibus decuſſatim inſidens, vel globum, vel lunulam manu tenens, conſpicitur, ut noſtri LXI. LXII. LXIV. et forte LXX. Item alii, in quibus equo vel centauro vehens, manibus elatis, vel lanceam manu tenens, repraeſentatur, ut numi XLIX. LXXI. LXXII. LXXIV. Originem quidem orientalem aperte produnt hae imagines, ſed utilitatis perparum afferunt ad res orientales illuſtrandas.

Supereſt tertium, idque rariſſimum, imaginum genus, quod eas complectitur, quae ex ipſa gentis hiſtoria eiusque moribus ſunt petitae.

Huius generis eſt numus Borgianus XCVIII, olim a me in Muſeo Cufico Borgiano, Romae edito, laudatus, a Naſer-ed-dino Ortoc Arſlan, Ortocida, Maredini excuſus anno Arabum DXCIX,[91] in quo imago centauri apparet, glandes retro emittentis, ex more et hiſtoria Chalifae hoc tempore regnantis illuſtranda. Legimus enim in annalibus Abulfedae [Tom. IV. pag. 245 et 329.], Naſerum ledin allah, Chalifam, regibus provinciarum, miſſis legatis, praecepiſſe, ut ſi quando glandes ex arcu baliſtario exploderent, ſuos iactus ab ipſo Naſericos appellarent, vel, ſi hoc non placeret, omnino a ludo iaculatorio abſtinerent. Habebant nimirum Orientales, pariter atque nos, exercitia ludicra in arcu, id quod clariſſime apparet ex hiſtoria inva-

91) Cum titulos numi minus recte interpretatus ſim in Muſeo Cufico Borgiano, eos hoc loco ſecundis curis retractabo. Titulus adverſae partis disponendus eſt hoc modo. Tribus prioribus areae lineis iungendum eſt nomen, quod in ſummo margine legitur. Tum incipiendum a margine dextro, pergendum ad ſiniſtrum, cui iungendum eſt nomen in imo margine exaratum, et denique addenda, quae huic praemiſſa eſt, ultima linea areae. Saepius in numis ſimili ratione nomina miſcentur et perturbantur. Porro, quod Reiskius [in Repertorio XI. 14. al.] legit سلار *Sallar*, in imo margine, et nomen eſſe putavit ducis alicuius belli, legendum سلان *ſalan*, et iungendum cum litteris ار in margine ſiniſtro h. m. ارسلان *Arſalan*, vel *Arſlan*, quod nomen fuit Ortocidae. Totus igitur titulus eſt ſequens: الناصر لدين الله امير المومنين الملك العادل ابو بكر بن ايوب ناصر الدين ارتق ارسلان ملك ديار بكر „Naſer ledin allah, princeps fidelium. [Nomen Chalifae] Al-malek el-Adel Abu-Becr filius Iobi. [Nomen regis Aegypti] Naſer ed-din Ortok Arſlan, rex Diarbekri. [Nomen Ortocidae] „ Pertinet itaque numus, non quidem, ut vult Reiskius, ad Adelum Aiubitam, qui Diarbekri rex non fuit, ſed ad Ortocidam, Huſam-ed-dini ſucceſſorem, cui nomen fuit Naſer-ed-dino Ortoc Arſlan, et qui auctoritatem non modo Chalifae, ſed Adeli quoque Aiubitae agnoſcere coactus fuit.

invaſionis Cotuzi in Sultanatum Miſrenſem, qui temporis opportunitate uſus, cum maximi Sultani duces ad explodendas ex arcu baliſtario glandes a palatio et urbe abeſſent, eum auguſta dignitate privaſſe legitur apud Abulfedam ad annum DCLVII. Vt autem nos ſolemus ſagittis ligneis praeferratis aut pyrobolis avem ligneam in alta pertica ſuffixam petere, et illum Regem ſalutare, qui eam, ſuo vel abſentis amici nomine deiecerit: ſic voluit Naſerus, ut reguli, eius clientes, ſe felices illos iactus eius nomine feciſſe dicerent, eumque ſemper exercitii ludicri regem declararent. Illuſtrat hunc morem alia Abulfedae narratio ad annum DCLXXXII, ubi haec ſunt eius verba: „Feriebat Sultan Malec es-Saleh Ala-ed-din Ali feras oves in tractu Abbaſae glandibus, eosque iactus nomine Malec el-Manſuri Muhammedis, Hamatae domini, ſe feciſſe teſtabatur. Quem hic inſignem honorem maximo acceptabat cum gaudio, ſignisque atque teſtimoniis, quibus maxime poterat, luculentis, et ſplendidis praecipue muneribus proſequebatur, quae Malec es-Saleho mittebat.„ Haec Abulfeda. Similem honorem exhibere voluit Chalifae princeps ille Ortocida eo, quod in numis adeo imaginem ad illa exercitia reſpicientem exprimendam curaverit.

Idem Chalifa Naſer, teſte Abulfeda l. c. et Hagi Chalifa ad a. DLXXVIII, ab Abd-el-Gabbaro, Mufti vel Iuris utriusque doctor creari volebat, quo facto edicto imperabat, ut principes ſubditi, Chalifae exemplum ſequi cupientes, poculum Fatuvae [92] vel inaugurationis in ipſius ſalutem biberent, ipſius-

 que

92) Vox Fatuva فتوى notat facultatem Muftin agendi, et Fetvam ſcribendi h. e. reſpondendi, conſulendi, decernendi et aliis quoque hanc dignitatem conferendi; et qui hac facultate pollebat, erat qualis in Germania Comes Palatinus Caeſareus. Volebat autem Chalifa, ut qui deinceps Mufti crearetur, poculum inaugurationis, ſub illo actu potari ſolitum, ex ipſius auctoritate biberet, palliumque eius nomine indueret; ideoque ab ipſo Chalifa ſe creatum doctorem ferret idque in diplomate ſcribi curaret. Solent enim orientales doctores longam ſeriem ſuis in diplomatibus nectere doctorum, a quibus et ipſi, et ſui promotores, et horum promo-

que nomine pallium doctorale induerent, quasi ab ipso Chalifa doctores creati essent. Ad hunc morem respicit effigies principis pileo doctorali et pallio ornati, quae in numo Husam-ed-dini Ortocidae (in Museo Cufico Borgiano, Romae edito, n. XXXVII.) animadvertitur.

Alius promotorum promotores dignitatem acceperint. Patet id ex diplomate doctoris Sofici vel doctoris theologiae, quod, quia unicum est huius generis, quod mihi occurrit, ex Abu-Osaibae vitis medicorum adscribam.

بسم الله — هذا ما انعم به المولي السيد الاجل العالم الشيخ الشيوخ صدر الاسلام علم الموحدين ابو الحسن محمد بن الامام السيد محمد بن حمويه ادام الله تاييده من لباس التصوف علي مريده علي بن خليفة بن يونس الخرجي الدمشقي وقفه الله علي الطاعات ، البسه اياها واخبره انه اخذها عن الخضر عليه السلام والخضر عن النبي رسول الله ، واخذه جده ايضا عن الشيخ ابي علي الفارسي الطوسي ، واخذها المذكور عن شيخ وقته ابي القاسم الكركاني ، واخذها ابو القاسم عن الاستاذ الامام ابي عثمان المغربي ، واخذها ابو عثمان عن شيخ الحرم ابو عمرو الزجاجي ، واخذها المذكور عن سيد الطايفة الجنيد بن محمد ، واخذها الجنيد عن خاله سري السقطي عن معروف الكرخي عن علي بن موسي الرضاء عليه السلام عن ابيه موسي الكاظم عن ابيه جعفر بن محمد الصادق عن ابيه الحسين بن علي بن ابي طالب عليهم السلام ، واخذها علي كرم الله وجهه عن سيدنا ونبينا وكفيلنا وشافعنا محمد ، واخذها معروف ايضا عن داود الطاي عن حبيب العجمي عن سيد التابعين الحسن البصري عن علي عليه السلام عن رسول الله ، وكان لباسه خرقة التصوف اعادها الله عليه من البركات وعلي كل من شرف بها في العشرين من شهر رمضان سنة خمس وعشرين وستماية بدمشق المحروسة ،

h. e. „In nomine Dei — Hoc est quod Maula [vulgo Muley] excellentissimus, doctissimus, magister magistrorum, primicerius Islamismi et vexillum antitrinitariorum Abu'l-Hasan

Alius Huſam-ed-dini numus, quatuor hominum figuras exhibens, quarum una ſedet, duae manus ſuper caput illius extendunt, qnarta abire videtur (in Muſeo Cufico Borgiano n. XXXVI.) ſine dubio quoque vel ad mores, vel ad res geſtas huius principis ſpectat, ſed ad quales, ſilente hiſtoria non facile indagabitur.

Ab Abulfaragio illuſtratur numus Gaiat-ed-dini Selgukidae, qui imagines leonis, ſolis, duasque ſtellas refert. (in Muſeo Cufico Borgiano n. XXXIII.)

E nova denique hac numorum Cuficorum collectione huc pertinent numi Malec es-Salehi Ortocidae n. LXXVI. LXXVII. LXXVIII. duplicem aquilam exhibentes, et numus LXXIX. cum effigie principis, manu caput detruncatum tenentis: quos ſupra ſuo loco illuſtrare tentavimus.

Atque haec de numis veteribus Arabicis, imaginibus ornatis, ſpeciminis loco ſufficiant.

DYNA-

Haſan Muhammed, filius Imami Saiedi Muhammedis, filii Hamuiae, cui ſummum numen vitam diu perennet, [vide de hoc viro Abulfedam ad a. 617] benigne munificeque indulſit de copia induendi pallium vitae Soficae, petenti, Alio, filio Chalifae, filii Ionaſi, de tribu Arabica Chazreg oriundo et Damaſci nato [patruus hic erat Abu-Oſaibae]; cui Deus vires ad ipſi obſequendum et ſancte vivendum largiatur. Induit illud pallium ipſi ipſe magiſter magiſtrorum, et ſimul ſignificavit ipſi, ſe pallium illud a Chidro, ſuper quem ſit pax, et hunc ab ipſo propheta accepiſſe. Et quidem ſuum avum accepiſſe illud a magiſtro Abu-Ali Fareſita Touſſita, hunc a magiſtro ſui aevi Abu'l-Caſemo Corcanico, hunc ab Iſtad-el-Imam Abu-Otmano Magrabico, hunc a Schaich el-Haram Abu-Amruo Zaggagio, hunc ab ordinis patrono Goneida, filio Muhammedis [Abulfeda ad a. 297], hunc a ſuo avunculo, Serrio Sacatenſe [Abulf. a. 251], hunc a Marufo Carchenſe, hunc ab Ali Ridda, ſuper quo ſit pax, hunc a ſuo patre Muſa Catemo, hunc a ſuo patre Gafaro Sadeco, hunc a patre Hoſaino, filio Alii, filii Abu-Talebi, quibus ſit pax. Ali autem, cuius faciem Deus honeſtet, illud acceperat a domino et propheta et protectore et interceſſore noſtro, Muhammede. — Acceperat quoque illud pallium Maruf (Carchenſis) a Davide Taïta, hic ab Habibo Agamico, hic a patrono aſſeclarum vel ſecundae claſſis traditionariorum, Haſano Baſrenſe, hic ab Alio, hic ab apoſtolo Dei. Induit ſupra laudatus hoc pallium, quod velit iubeatque Deus et ipſi et omnibus, qui eo nobilitantur, felix fauſtumque eſſe, die vigeſimo noni menſis anni DCXXV in urbe Damaſco, quam Deus cuſtodiat. „

DYNASTIA TATARORVM vel MOGOLORVM.

In duos ramos se diffusisse Mogolos vel Tataros, orientales nimirum et occidentales, res omnibus nota est. De posterioribus hoc loco loquimur, qui Persiam, Syriam, Chaldaeam, Mesopotamiam, magnamque Natoliae partem occuparunt. Fundator huius dynastiae fuit Hulacu, aliis Holagu, Halao vel Haolonus, qui relicta Turkestana Persiam primum invasit anno DCLI, Chr. 1253, deinde Chalifam Mostaasemum impetens regiam eius Bagdadum cepit, regnumque Chalifarum delevit a. DCLV, Chr. 1257, vel, ut alii malunt, anno sequente, tum ulterius progressus plerasque conterminas provincias sui iuris fecit. E vivis excedens a. DCLXIII, Chr. 1264, vel anno post, ut volunt alii auctores, filio Abaka Kan Iracam utramque, Chorasanam, Aderbiganam, Persiam, Chuzistanam, Diarbekrum, Asiamque minorem reliquit. Huic filius Tachodor, Abulfedae Nikadar, cognomine Ahmed Kan, successit anno DCLXXXI, Chr. 1282. Post hunc regnum adiit filius Argun Ilchan anno DCLXXXIII, Chr. 1284. Hunc ordine excipiunt Caichtu, filius Abakae a. DCXC, Chr. 1291, Baidu, filius Targih, fil. Hulacu a. DCXCIV, Chr. 1295, Cazan Kan, filius Arguni, eodem anno, Gaiat-ed-din Chodabende, cognomine Gabtu, anno DCCIII, Chr. 1303, et Abu-Said, cognomine Behadir Chan, antecedentis filius, a. DCCXVII, Chr. 1317. Quo mortuo a. DCCXXXVI, Chr. 1335, regnum divisum, laceratum, tandem a Timuro occupatum fuit. Vid. Herbelotum voce Holagu, alibi, Assemani bibl. orient. T. III. P. II. p. CVIII seqq.

LXXX. B.

Numus aeneus Abaka Kani, post a. DCLXIII. Chr. 1264. ined.

I. A.	محمد	*Muhammed est*
	رسول الله	*apostolus Dei, cui*
	صلي الله عليه	*propitius sit Deus*
	وسلم	*et benignus!*

Supra

Supra vocem Muhammed legitur لله الامر Deo imperium!

M. لا اله الا الله وحده لا شريك له *Non est Deus nisi unus, socii expers.*

II. A. پادشاه *Imperator*
عالم ايلخان *mundi Ilchan*
. . . . . (Lineae duae
. . . . . lectu difficiles)

Ad latus: ابغا قاان vel اباقا قاان Litterae enim non clare dignoscuntur. h. e. Abaka Kan.

M. ضرب هذا الفلس ببغداد . . . . . سنين وستماية *Cusus est hic Fols Bagdadi . . . . . sexcentesimo sexagesimo . . .*

Explicandi sunt primum tituli exotici, quibus princeps hoc in numo gaudet. Padischah, vox Persica, Imperatorem, principem absolutum significans, satis nota est: cum adiecta voce arabica عالم est Imperator mundi. Ilchan, eiusdem originis, summum belli praefectum peculiariter notat.[93] Neque mirum, Abakum magnificis hisce titulis superbire voluisse, cum revera Mogoli terminos dominii sui in omnes fere continentis partes extenderunt.

Peregrinam quoque originem prodit nomen فلس *Fols*, quod huic numo tribuitur. Respondet folli Latinorum, quod forte Graecorum est φυλλις, bracteola. Ita nuncupantur recentiores numi aenei; antiquiores, ut argentei, دراهم drachmae appellabantur.

Titulos numi attente consideranti dubium esse non potest, quin princeps, cuius nomen exhibet, Islamismum amplexus sit. Testatus quidem est eius apud Clementem IV orator, ut refert Assemanius in bibliotheca orientali T. III. P. II. p. CX. ab

(93) Meninski Lexicon Arabico-Persico-Turcicum. Editio nova splendida, quam munificentiae ill. de Ienisch debeo, Viennae 1780 T. I. p. 420.

ab illo Chriſtum coli crucisque vexillum reverentur honorari. Sed rectius omnino Haiton, eum numquam ſacra Chriſtiana ſequi voluiſſe narrat, imo idola coluiſſe, licet non malevolus fuiſſet erga Chriſtianos. [94]

Bagdadi numus excuſus eſt. Quae quidem urbs vaſtata fuerat ab Hulacu, ſed tamen priſtinum florem mox recuperavit, et haud multo poſt inter florentiſſimas Aſiae urbes denuo eminuit. Numus unicus et rarus. . . . . .

LXXXI. B.

Numus argenteus Abu-Saidi. ined.

I. A. . . . . الله

لا اله الا *Non eſt Deus niſi Deus.*

محمد *Muhammed eſt*

رسول الله *apoſtolus Dei.*

M. ابو بكر عمر عثمان علي *Abu-bekr, Omar, Otman, Ali.*

Inter lineas areae litteris minutis ضرب كاشان *Cuſus Kaſchani.*

II. A. ضرب في ايا *Cuſus ſub regno*

م دولة السلطان الاعظم *Sultani maximi*

ابو سعيد بهادر خان *Abu-Said Behadir Chan,*

خلد الله ملكه *cuius regnum Deus ſervet.*

In margine aera; ſed nihil extricare potui praeter verba وسبع مايۃ . . . . سنۃ *anno ſeptingenteſimo . . . .*

Notabilis in primis eſt in hoc numo, ut in ſequentibus, commemoratio quatuor Chalifarum Alidarum, quos Schiitae colunt, Abubecri, Omari, Otmani et Ali. Egregie obſervat cl. Tychſenius Gottingenſis in commentatione II de numis Cuficis

(94) Hiſtoire orientale de Haiton, Armenien, chap. XXXII. p. 46. inſerta in T. II. libri: voiages en Aſie — — par Pierre Bergeron.

ficis pag. 13, faviſſe hos principes Schiitarum partibus, ob antiqua huius ſectae merita, cuius ope Bagdado potitus olim fuerat Hulacu. Primum Schiitarum formula in numis uſum eſſe regem Chodabendum, eodem loco numo aliquo Gottingenſi probat.

Kaſchan urbs, quam praefert numus, in Iraca Perſica ſita eſt, a Geographis ſatis celebrata. Ab Abulfaragio ſcribitur قاشان (pag. 286 edit. Pocockii), ſed rectius a Naſſir Ettuſaeo, Vlug-Beighio, aliisque, ut in numo, كاشان

Numus nitidus eſt, variisque ornamentis decoratus, et, quantum ſcio, ineditus, licet ſimillimos plures afferunt Niebuhr, Tychſenius, Aſſemanius.

LXXXII. B.

Numus argenteus Abu-Saïdi.

I. Vt in numo praecedente, praeter nomina quatuor Chalifarum, quae hic non in margine ſed ſub area leguntur hoc modo:

ابو بكر *Abu-Bekr*

علي عمر *Omar* *Ali*

عثمان *Otman*

Quae in margine litteris minutis exarata erant, vetuſtate ſunt exeſa. Apparent tamen verba .. السميع العل .. الله و quae fateor me non intelligere.

II. A. ضرب *Cuſus*

في ايام دولة السلطان *ſub regno Sultani*

الاعظم ابو سعيد *maximi Abu-Saïd,*

خلد الله ملكه *cuius regnum ſervet Deus.*

ال . . . (Vox obſcura)

In margine ضرب *cuſus.* Reliqua evanuerunt.

Eundem numum protulerunt viri cl. Tychſenius in commentatione II de numis Cuficis pag. 14. N. XXVIII. XXIX. et Aſſemanius in Muſeo Cufico Naniano P. II. N. CVIII.

LXXXIII. B.

Numus argenteus Abu-Saïdi.

I. A. ut ſupra.

In margine nomina Chalifarum, Abu-bekr, Omar, Otman, Ali.

II. *Cuſus.*

ضرب

السلطان الاعظم *Sultan maximus*

ابى سعيد *Abu - Saïd,*

خلد الله ملكه *cuius regnum D. ſervet.*

(Nomen loci)

Quae in margine litteris minutis et male formatis exarata ſunt, lectu difficilia.

Similis eſt numo Muſei Cufici Borgiani LIV, ſed minoris moduli, ut numus LVI eiusdem Muſei.

NVMI
CHALIFARVM ET DYNASTIARVM
IN AFRICA.

I.

NVMI MAVRITANICI (المغرب).

DYNASTIA AGLABITARVM.

Ex quo Africa domita et subacta fuit ab Arabibus, integrum, et quod excurrit, Saeculum paruit Chalifis Asiaticis, qui ibi gubernatores, res publicas suo nomine administrantes, constituerant. Sed accrescente indies dominio Chalifarum, cuius ingente mole fere obruebantur, summam interea in Mauritania potestatem, absentia legitimi principis freti, arripiebant Edrisidae, et Aglabitae, quorum hi quidem eam Africae partem, quae ab Aegypto ad Tunis urbem pertendit, illi autem reliquam partem, cum urbibus Sabta, Fez, Tanger, sui iuris faciebant. Vtriusque dynastiae regum seriem cum apud alios frustra quaesiverim, eam hoc loco, Edrisidarum e relationibus Höstii,[95] Aglabitarum duce Casirio et Abulfeda[96] lectoribus ante oculos ponam.

Edrisidae.

Edris fil. Abdallae, fil. Hasani, e posteris Alii, e clade Alidarum apud Medinam anno CLXVIII superstes, et in Africam profugus, ibi prima regni Edrisidarum fundamenta iecit a. CLXXII, Chr. 788. Hunc quidem veneno tulit Chalifa anno CLXXIV, successit autem duode-

Aglabitae.

Ibrahim, fil. Aglabi, ab Haruno Chalifa Africae praefectus a. CLXXXIV, Chr. 800, sed ea dignitate non contentus, principatum ambivit, et Edriso filio Abdallae, aemulo, arte decepto, Regis insignia assumsit. Mortuus a. CXCVII, Chr. 812, successorem habuit filium Abu'l-

(95) Vid. Ill. Höstii descriptio Marocci et Fez, danice edita Hafniae.

(96) Vid. Casiri Bibliotheca Arabica T. II. p. 191 seqq. Abulfedae annales Muslemici, editio Hafnienſis.

Edriſidae.

duodecim poſt patris mortem annos in eiusdem regnum filius poſthumus, nomine

Edris, filius Edriſi, qui urb. Fez condidit a. CLXXXVIII Chr. 804, obiit annos natus triginta duo. Ita ill. Höſt in deſcriptione Marocci et Fez duce Muhammede Cartas. Sed Raſis apud Caſirium Tom. II. pag. 31 eum natum refert anno

Aglabitae.

Abu'l-Abbaſum Abdallam, Caſirio Ibrahim Abu-Abdallam. Huic peſte ſublato ſucceſſit a. CCI, Chr. 816, frater

Zeiadat allah I. defunctus anno CCXXIII, Chr. 838.[97] Tum alter frater

Abu-Acal[98] Aglab. Quo mortuo a. CCXXVI, Chr. 840, thronum occupavit frater

Abu'l-Abbas Muhammed (Caſirio Abu'l-Abbas fil. Muham-

(97) Mirum, hunc Zeiadatallam in codice Diplomatico Siciliae, auſpiciis ill. et rev. Alphonſi Airoldii, opera cl. Velhae edito Panormi, et in numis quoque ibi laudatis, ſemper *Abraham ben Aalbi* h. e. ben Aglab, appellari. Succeſſor eius ibi nominatur *Muhammed ben Abrahim*, quem eundem eſſe putat cl. editor cum noſtro Abu-Acâlo. Quartus Africae princeps ibidem eſt *Muhammed ben Abu'l-Abbas*, cuius regni initium incidiſſe dicitur in a. 236. Hunc in eodem opere excipit *Muhammed ben Hammud fil. Abu'l-Abbaſi* a. 253, qui idem forte eſt cum noſtro Abu-Abdalla Muhammede. Huic ſucceſſit *Ebrahim ben Muhammed*, a. circiter 263. et poſt eum a. 266 *Ebrahim ben Ahmed*, quorum loco Abulfeda et Caſirius unum tantummodo Abu-Ishacum Ibrahimum laudant. Octavus Africae rex ibidem eſt *Ahmed ben Ebrahim*, noſter Abu'l-Abbas Abdalla, qui regnum adiit a. 291, idemque ultimus Aglabitarum, a Fatemidis regno expulſus a. 296. Quot quaeſo et quantae diſcrepantiae! Quae quo modo conciliandae ſint, equidem non video. Num forte variis nominibus cognominibusque uſi ſint principes Mauritaniae? An provincias aliquas gubernatoribus adminiſtrandis tradiderint, quorum nomina ab auctoribus Arabicis in ſeriem principum immiſſa ſint? An ſucceſſor interdum, morte anteceſſoris celata, eiusdem nomen in litteris publicis per aliquot tempus ſervaverit, unde illorum principum, qui paucos tantum menſes vel annos regnarunt, in codice diplomatico ratio non habeatur? Iudicent de his eruditi!

(98) Arabice ابو عقال

Edriſidae.

no CLXXV, defunctum anno CCXIII. Succeſſores eius fuerunt:

Muhammed filius Edriſi.

Ali filius Muhammedis, qui tredecim annos regnavit.

Iahia filius Muhammedis.

Iahia filius Iahiae, rex crudelis.

Omar filius Edriſi, princeps bonus et clemens.

Iahia filius Omari, vir eruditus, litterisque favens, quem alius Edriſida ſed ad breve tantum tempus ſecutus eſt. Obaidalla enim, cognomine Mahdi, ex Fatimae et Alii progenie, ut quidem iactabat, oriundus, a. CCXCVI Chr. 908 Edriſidarum regnum occupavit, eorumque et gente et nomine deleto, Fatemidarum in Africa regni fundamenta poſuit.

Aglabitae.

Muhammedis), fil. Ibrahimi, fil. Aglab. Huic ſucceſſorem dat Ibn-el-Katib apud Caſirium, ex fratre nepotem Ahmedem fil. Abu'l-Abbaſi, quem vita defunctum ſcribit anno CCXLIX. Abulfeda autem ſucceſſorem nominat antecedentis filium

Abu-Ibrahim Ahmedem, qui regnum occupatum anno CCXLII, reliquit a. CCXLIX, Chr. 863, fratri

Zeiadat allah II Abu-Muhammedi. Cui poſt regnum VI menſium, teſte Ibn-el-Katibo, vel XVIII, teſte Abulfeda, ſucceſſit ex fratre nepos

Abu-Abdalla Muhammed fil. Ahmedis. Huic mortuo a. CCLXI, Chr. 874, ſucceſſit frater

Abu-Ishac Ibrahim, fil. Ahmedis. Tum a. CCLXXXIX Chr. 901 huius filius

Abu'l-Abbas Abdalla. Cui per parricidium ſucceſſit filius et ultimus Aglabitarum rex a. CCXCVI, Chr. 908

Abu-Naſr Zeiadat allah III. quo pulſo ab Abu-Abdalla Schiita, regnum in manus Fatemidarum tranſiit.

Vnicum, qui nobis innotuit, Aglabitarum numum (ſi excipias numos Airoldianos in codice diplomatico Siciliae laudatos, qui tamen ab omnibus aliis omniumque temporum numis Arabicis longe differunt) ſervat ut gemmam Muſeum Borgianum, quem nunc illuſtrare tentabimus.

LXXXIV. B.

Numus argenteus Zeiadat allah, tertii Aglabitarum principis, a. CCIX. Chr. 824. ined.

I. A. لا اله الا الله — *Non eſt Deus, niſi*
الله وحده — *Deus ſolus, qui*
لا شريك له — *ſocium non habet.*

Inter ſecundam et tertiam lineam inſerta legitur vox مسرور (h. e. laetum, hilare) quae quid ſibi velit ignoro.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بال..ى..ة سنة تسع ومايتين

In nomine Dei cuſa eſt haec drachma . . . . . anno CCIX. Chr. 824.

II. A. علي — *Ali.*
محمد رسول — *Muhammed eſt legatus*
الله مما امر به الامير — *Dei. Iuſſu principis*
زيادة الله بن ابراهيم — *Zeiadat allahi.*
زيادة الله — *Zeiadat allah.*

In margine, niſi fallor, leguntur verba illa Corani, „Muhammed eſt legatus Dei, quem cum vera religione miſit„ rel.

Quod ad formam externam attinet, ſimillima eſt haec drachma numis Mamuni et Amini, ſupra laudatis, quibus neque typi elegantia cedit.

Tituli numi maxime notabiles mihi videntur. Efficitur ex iis, Zeiadat allah verum fuiſſe nomen principi Aglabitae, qui hoc tempore Mauritaniam tenuit; quem regem vere inclytum nominat Ibn-el-Katib apud Caſirium, qui Chalifae primum Mamuno,

Mamuno, deinde autem uſurpatori Ibrahimo, filio Mahdii, ſacramentum dixerit. Additur huius nomini nomen nepotis ex fratre, patruo cognominis, Zeiadat allah, eiusdem, qui anno CCXLIX thronum Mauritaniae occupavit. Hoc tempore, una cum Alio illo, qui in eodem numi titulo laudatur, rebus bellicis forte vel civilibus praefuit. Nomen urbis ubi numus excuſus eſt, non clare legitur; quod certe non eſt قيروان *Cairovan*, ubi Aglabitae ſedem regiam habuerunt, ſed quale, me quidem latet.

At quomodo conciliandi et coniungendi ſunt inter ſe numus noſter et numi Airoldiani, in codice diplomatico Siciliae laudati, quorum unus ſaltim, noſtro quam maxime diſſimilis, eidem principi Aglabitae tribuendus eſſet, quippe excuſus anno CCXX Cairovanae.[99] Hic male cuſus et ſignatus eſt, noſter nitide. Hic titulos exhibet, dialecto plebeia, ad hodiernam Melitenſem accedente, exaratos, noſter pura Arabum lingua ſcriptos. Hic principi nomen tribuit Ibrahim fil. Albi, noſter hiſtoricis conſentientibus eum nominat Zeiadat allah fil. Ibrahimi. Hic alienus eſt ab omnibus aliarum dynaſtiarum numis Arabicis, noſter antiquiſſimis ſimillimus.[100] Tollat haec dubia, qui poteſt! Arduum ſane opus et inſuperabile erit, niſi forte accipias, in plures ramos vel dynaſtias abiiſſe ſtirpem Aglabitarum, et alius numos ſervari in Muſeo Airoldiano, alius in Borgiano; vel quoque, e diverſis officinis, id quod patet,

99) Codice diplomatico di Sicilia ſotto il governo degli Arabi, publicato per opera e ſtudio di Alfonſo Airoldi, Arciveſcovo. — T. I. P. I. Palermo 1789. 4to. pag. 4.

100) Iuvat hic referre titulos numi Airoldini:

1. A. ٢٢٠ مدينة بتنع قيروان في سنة Metropolis Kairovan, anno 220.

M. Non eſt Deus, niſi Deus; Muhammed eſt apoſtolus Dei.

11. A. et M. ابرهيم بن البي سيد بتنع قستنطين تلسين وسقليه Ibrahim fil. Albi, dominus Conſtantinae, Teleſini et Siciliae.

prodiisse numos diversos, et quidem Airoldianos, licet nomen Cairovanae exhibeant, in Sicilia re vera, procul a principe, ab imperitis opificibus signatos esse. Sed neque hoc posito tenebrae omnes evanescunt, quas certo nemo nisi eruditissimus Velha, in rebus occultis ad lucem proferendis egregie versatus, discutere valebit.

DYNASTIA FATEMIDARVM.

Fatemidae, ut supra diximus, successerunt Edrisidis et Aglabitis, quorum regna armata manu sui iuris fecerant. Numos quidem in Mauritania cudi curarunt, quorum nonnulli ex Museo Airoldiano proferuntur in tomo II codicis diplomatici Siciliae, sed nullus eorum in manus nostras pervenit. Quos in Aegypto signari iusserunt, infra inter Aegyptiacos explicabimus.

DYNASTIA ALMORAVIDARVM.

Postquam quartus Fatemidarum Imperator, Moëz ledin allah, Aegyptum ope Gauharii expugnasset, sedem regiam illinc quoque transferebat, relicto in Africa gubernatore Iosepho Seiri, filio Menadi, qui cum successoribus suis absoluta fere potestate regnavit. Dum hi in provinciis Africae orientalibus dominarentur, e desertis Tingitanae advenit Abu-beker aliquis, Omari filius, Lamtunensis, et novae dynastiae fundamenta iecit anno CCCCXLVIII, Chr. 1056, quae a nostratibus Almoravidarum, ex Arabico Al-morabetun, h. e. excubantium pro caussa Dei et verae religionis, appellari solet, ab Arabibus autem vulgo al-Molattamun الملثمون vel calyptratorum nuncupatur. Initia huius dynastiae enarrat Abulfeda in annalibus Muslemicis, ed. Hafn. T. III. pag. 151 seqq. Quatuor eius ab historicis laudantur reges, post Abu-becrum, nimirum Iusuf filius Teschfini, Ali filius Iusuf, Teschfin filius Ali, et Ishac filius Teschfini, sed in annis, quibus unus alteri successerit, indi-

indicandis sibi non constant. Ope numorum nostrorum historiae eorum aliquid lucis afferetur.

LXXXV. B.

Numus aureus Abu-becri filii Omari, fundatoris dynastiae Almoravidarum, a. CCCCLXXII. Chr. 1079.

I. A. لا اله الا الله — *Non est Deus nisi Deus,*
محمد رسول الله — *Muhammed est legatus Dei.*
الامير ابو بكر — *Princeps Abu-beker*
بن عمر — *filius Omari.*

M. Titulus novus, his numis proprius, ومن يتبع غير الاسلام دينا فلن يقبل منه وهو في الاخرة من الخاسرين *Quicunque aliam, quam Muhammedis religionem profitetur, Deo acceptus esse non potest, et in altero mundo peribit.* Verba Corani.

II. A. الامام — *Imam*
عبد — *Abdalla*
الله — [h. e. servus Dei]
امير المومنين — *princeps fidelium.*

M. بسم الله ضرب هذا الدينار بسجلماسة سنة اثنين وسبعين وار... [h. e. وار بعماية] *In nomine Dei cusus est hic denarius Segelmessae, anno CCCCLXXII,* aerae vulg. 1079.

„Segelmessam urbem, verba sunt Abulfedae, commisso cum incolis proelio, superior factus occupabat Abu-beker anno CCCCLIII, et aliquo tempore post Susam quoque provinciam. Quibus peractis occubuit anno CCCCLXII, eiusque in locum commune de consilio substitutus fuit Iosephus filius Teschfini sub eodem titulo امير المسلمين principis Muslemorum, quem eius decessor quoque gesserat." Duplex error in hac relatione notandus est. Minime occubuit princeps laudatus a. CCCCLXII, qui anno CCCCLXXII numum adhuc suo nomine signavit,

quae aera clare legitur in exemplo noſtro; neque titulum principis Muſlemorum, licet a ſubditis honoris cauſſa ei inditus fuerit, publice accepit: in hoc numo enim ſimpliciter princeps audit. Rectius itaque Herbelotus [1] Ioſephum refert deceſſoris (noſtri Abu-becri) regnum occupaſſe anno CCCCLXXII, quo poſito, numus hoc eodem anno, principi fatale, cuſus eſſet.

Dubium oriri poſſit de illo Imamo vel Chalifa Abdalla, qui in averſa numi parte laudatur, cuius nominis nullus hoc tempore in Aſia vel in Aegypto regnavit. Obſequium ſacramentumque abrogaſſe principes Africanos, Alidis Aegypti Chalifis praeſtari ſolitum, Bagdadicos contra de gente Abbaſi pro legitimis Chalifis agnoviſſe, ex unanimi ſcriptorum conſenſu conſtat. Imo, Ioſephus, ſecundus Almoravidarum rex, ab Abbaſico Chalifa inveſtituram rogaſſe legitur apud Abulfedam in annal. Muſl. III. p. 357. Iam vero Aegyptii vicini eorum fuerunt, potentia armisque formidabiles, qui hanc iniuriam acceptam aequo animo ferre numquam potuerunt. Quid igitur, ſi Mauritani, rem veluti in ambiguum relinquentes, in monumentis publicis numisque, ne ſemper denuo irritarent Aegyptios, Chalifam cultorem Dei celebrare maluerint, vero eius nomine ſuppreſſo? Alludentes ſimul ad Barbarorum illum reformatorem, Abdallam filium Iaſiri, cuius ſtudio fundationem et progreſſum dominii ſui debuerant? Indeque factum, ut in omnibus huius dynaſtiae numis idem titulus Chalifae cultoris Dei recurrat?

Ceterum formula illa Coranica: „Quicunque aliam, quam Muhammedis religionem profitetur, Deo acceptus eſſe non poteſt„ egregie reſpondet fraudatoris illius, Abdallae, primae legi et ſanctioni, qua homines ad partes ſuas accedere invitavit, verae

1) Herbelot bibliotheque orientale: tit. Iouſouf ben Baſchkehin. Ita Teſchfinum appellat, Ibn-Schohnam ſecutus. Sed in codice Hafnienſe Ibn-Schohnae ſcribitur nomen تاشفين *Teſchfehin*, inſerta ſolummodo littera h. Et ſic rectius.

verae fidei capitale praeceptum hoc esse, ut alienos a fide Muhammedis armis oppugnent et exagitent.

Successoris Abu-becri nostri numum laudavi in Museo Cufico Borgiano p. 17. adn. 23. cusum a. CCCCLXXIV, et quidem Segelmessae, ut noster, non autem, ut olim putavi, Marocci.

LXXXVI. A.

Numus aureus Ali filii Iosephi, tertii regis Almoravidarum, a. DXXV. Chr. 1130.

I. A. لا اله الا الله — *Non est Deus, nisi Deus verus.*
محمد رسول الله — *Muhammed est apostolus Dei.*
امير المسلمين علي — *Princeps Muslemorum, Ali,*
ابن يوسف — *filius Iosephi.*

M. ut in antecedente.

II. A. الامام — *Imam* (Chalifa)
عبد — *Abd-allah,* [h. e.
الله — cultor Dei]
امير المومنين — *princeps fidelium.*

M. بسم الله ضرب هذا الدينار بالمريه سنة خمس وعشرين وخمسماية *In nomine Dei cusus est hic denarius Almeriae anno DXXV.* Chr. 1130.

Meriam, vel Almeriam, Hispaniae urbem, hortorum pulchritudine et civium frequentia celeberrimam, post Morsiam, Valenciam, Sevillam, cum tota fere Hispania subigebant sub potestatem suam copiae Teschfinidae anno CCCCLXXXIV, Chr. 1091.[2] Postea monetam quoque hac in urbe constituisse principem Mauritaniae, ex numo nostro patet.

In

2) Abulfedae annales T. III. pag. 275. Casiri bibliotheca Arabico-Hispana Escurialensis T. II. pag. 54. et 214.

In hoc numo publice se profitetur rex principem Muslemorum. Recte itaque se habere non videntur, quae observant nonnulli Arabum auctores, et inter eos Ibn-Schohna, antecessorem huius Alii, Iosephum, abiecto titulo principis Muslemorum, princeps fidelium, more Chalifarum, appellari voluisse. Verba Ibn-Schohnae sunt, ad a. CCCCLXXII in codice Regio Hafniense: وسمي امير المومنين وملك غالب الغرب „Appellatus fuit (loquitur de Iosepho filio Teschfini) princeps fidelium, item, rex potentissimus Mauritaniae.„

LXXXVII. B.

Numus aureus Ali, filii Iosephi, tertii regis Almoravidarum, a. DXXXV. Chr. 1140.

I. A.	لا اله الا الله	*Non est Deus, praeter Deum,*
	محمد رسول الله	*cuius legatus est Muhammed.*
	امير المسلمين علي	*Princeps Muslemorum, Ali.*
	ولي عهده	*Haeres regni constitutus*
	تاشفين	*Teschfin.*

M. ut supra, praemissis verbis: صدق الله *verax est Deus.*

II. A.	الامام	*Imam* (Chalifa)
	العباسي	*Abbasidicus*
	عبد الله	*Abdalla* (Dei cultor)
	امير المومنين	*princeps fidelium.*

M. بسم الله الرحمن الرحيم ضرب هذا الدينار بغاس عام خمسة وثلاثين وخمس ماية *In nomine Dei benignissimi cuius est hic denarius Fezae, anno DXXXV.* Chr. 1140.

Iam simulationem deponit Mauritanus, et aperte Chalifam Abbasidam in numo suo celebrat, cui tamen, more maiorum, titulum cultoris Dei tribuit, vero eius nomine omisso. Videantur, quae ad numum LXXXIV observavimus.

Tesch-

Teſchfinum, regis filium, vivente adhuc patre, regni haeredem proclamatum fuiſſe, e numo noſtro intelligimus. Eodem belli duce uſus fuerat pater, ad comprimendum Mahadium, dynaſtiae Movahhedinorum fundatorem, ſed fortuna adverſa. Calamitate animo deiectus prae moerore occubuit, eodem, quo numus ſignatus fuit, anno DXXXV.

Feſſam urbem, ſic dictam a bipenni aurea in loco, ubi condita eſt, caſu reperta, vel, ut volunt alii, ab urbe perantiqua Sef, permutato litterarum ordine,[3] hoc tempore paruiſſe Almoravidis, ex eodem numo efficitur. Aedificata fuit anno CXCII.

Titulus in averſo numo eo differt a ſolitis, quod nomini divino epitheton illud ſollemne الرحمان الرحيم optimi, clementiſſimi, addatur, et vox عام (annum notans) recentioris originis adhibeatur pro سنة; puncta quoque diacritica, cum recentiore ſcribendi modo invecta, paſſim litteris appoſita animadvertuntur.

DYNASTIA MOVAHHEDINORVM vel MOHADITARVM.

Fundatores huius dynaſtiae, quae arabice الموحدين al-Movahhedin h. e. unum Deum profitentium appellatur, fuerunt Ibn-Tomrut (Abu-Abdalla Muhammed fil. Abdallae, fil. Tomrut) et Abd-el-mumen (Abu-Muhammed Abd-el-mumen fil. Ali, Cumenſis), ille apoſtolus, hic dux et princeps Maurorum. Venerat ille anno DV, e peregrinatione Meccana redux, primum Mahadiam, urbem Africae, ubi tunc regnabat Iahia, filius Emir Tamimi, fil. Aſiſi, Sanhagita; inde Melilam oppidum prope بجاية Bagabam [Abulfedae بجاية Bagaiam] pro-

3) Michaëlis Caſiri Bibliotheca Arabico-Hiſpana Eſcurialenſis T. II. pag. 159.

progreſſus, Abd-el-mumenum apoſtolatus ſui ſocium adſcivit, ipſe vero magnificum titulum Mahadii, vel illius verae fidei demonſtratoris, quem olim venturum eſſe Muhammed praedixerat, ſibi arrogavit; denique ad altiora tendens, Maroccum perrexit, non minora meditatus, quam everſa familia regia Almoravidarum in regnum et thronum Mauritaniae invadere. Fato interea abreptus anno DXXIV, annos natus 41 [Abulfedae 51], Abd-el-mumeno, cui titulum principis fidelium tribuerat, tragoediam abſolvendam reliquit: qui, poſt everſas plures Africae urbes, capta denique Marocco anno DXLI Almoravidarum regnum delevit. Ita Ibn-Chalican in vitis Ibn-Tomruti et Abd-el-mumeni.[4] Seriem principum huius dynaſtiae dabimus ex Ibn-el-Catibo apud Caſirium:[5]

Abd-el-mumen, obiit a. DLVIII.
Ioſeph Abu-Iacob, ob. DLXXX.
Iacob, antecedentis filius, cogn. Almanſor, ob. DXCV.
Muhammed, huius filius, cogn. Alnaſer, ob. DCX.
Ioſeph Abu-Iacob, praeced. fil. Almoſtanſer, ob. DCXX.
Abd-el-vahed I. ob. DCXXI.
Aladel, eodemque anno Almamun Edris, ob. DCXXIX.
Abd-el-vahed II. Alraſchid, ob. DCXL.
Ali Abu'l-Haſſan es-Said.
Omar f. Abu-Ibrahim, Almortadi, ob. DCLXV.
Edris, f. Muhammedis, Alvatek, ob. DCLXVIII, poſt quem Marini rerum potiti ſunt, everſa dynaſtia Abd-el-mumeni.

Numi horum regum, qui a me aſſervantur, non quidem proprie pertinent ad Cuficos, titulos enim volubiliore litterarum forma, quam Neſchi vocant, exaratos exhibent; ſed tamen, cum aequaevi ſint Cuficis, et rariores, locum mereri videntur.

LXXXVIII.

4) Conf. Herbelot, et Abulfeda T. III. p. 399 ſqq.
5) Caſiri bibl. arab. Eſcurial. T. II. p. 219.

LXXXVIII. A.

Numuli tres argentei quadrati, Mahadii nomen proferentes, inediti.

Differunt quidem inter se hi numi ratione characteris seu formae, sed eosdem habent titulos.

I.	لا اله الا الله	*Non est Deus praeter Deum.*
	الامر كله لله	*Regnum omne est Dei.*
	لا قوة الا بالله	*Potentia unice inest Deo.*
II.	الله ربنا	*Deus est dominus noster,*
	محمد رسولنا	*Muhammed apostolus noster,*
	المهدي امامنا	*Mahadi Imamus noster.*

Pertinent itaque numi modo laudati ad Ibn-Tomrut, qui nomen Mahadii sibi tribuit, et incidunt, si quidem ab ipso editi sunt, in annos DXII ad DXXIV. Recentior litterarum forma non impedit, quin ei vindicentur: haec enim inventa fuisse dicitur ab Ibn-Mocla iam ante an. CCCXXVIII,[6] licet in numis monumentisque publicis diutius perduraverit antiqua scriptura. Sed probabile mihi non videtur, Mahadium, qui ante fundatum novum regnum obiit, suo nomine numos signasse. A successoribus potius nomen eius observantiae caussa numis inditum fuisse, coniicio e verbis Ibn-el-Catibi, apud Casirium, qui de rege Almamuno narrat, eum nomen Mahadii delevisse in numis, et pecuniam in pristinum statum restituisse. وظهر له ان يطمس اثر دعوة المهدي فمحا اسمه من السكة واعاد الدرهم الي معتاده ،

Similem numum delineari curavimus in Museo Cufico Borgiano p. 98, in cuius postica parte additur nomen urbis تونس *Tunis.* Quae urbs, teste Nuvairio, aedificata fuerat ab Aglabi-

6) Vid. descriptio nostra codicum Cuficorum Hafnienfium. Altonae 1780 pag. 16. 17.

tis, quorum princeps, Abu-Ishac Ibrahim anno CCLXXXI ſedem ſuam ibi habuerat. Tranſiit deinde ſub poteſtatem Fatemidarum, et poſt hos a Mohaditis occupata fuit.

LXXXIX. A.

Numulus argenteus quadratus Abd-el-Mumeni. ined.

I. الحمد لله *Laus Deo,*
ربـــ *domino*
العالـمـيـن *mundorum!*

II. ابو محمد عبد *Abu-Muhammed Abd-*
المومـن بن علي *el-mumen, filius Alii,*
امير المومـنـيـن *princeps fidelium.*

Abd-el-mumenum, primum Mohaditarum poſt Ibn-Tomrutum regem hoc titulo, principis fidelium, quo ſoli Chalifae uti ſolebant, gaviſum fuiſſe, ſupra animadvertimus. Cuſus igitur eſt numus ante annum DLVIII, quo obiit Abd-el-mumen.

XC. A.

Numus argenteus Raſchidi, decimi Mohaditarum regis, ined.

I. A. لا حق ولا *Non eſt iuſtitia,*
قـوة الا *neque potentia, niſi*
بالـلـه *in Deo.*

M. ضرب ب . صره *Cuſus . . . ſrae.* Reliqua abſciſſa.

II. A. الـلـه ربـنـا *Deus eſt dominus noſter.*
محمد رسولنا *Muhammed apoſtolus noſter.*
الـــرشـيـد *Al-Raſchidus*
امـامـنـا *Imamus noſter.*

M. ستماية . . . . . *ſexenteſimo.* Reliqua deſunt.

Raſchid

Raſchid cognomen fuit decimi Mohaditarum regis, Abd-el-vahedi Abu-Muhammedis filii Edriſi, qui diem obiit ſupremum anno DCXL. Confirmatur hoc numo obſervatio Ibn-el-Catibi ſupra laudata, tempore Almamuni Edriſi, patris noſtri regis, nomen Mahadii, quod in numis celebrari ſolebat, omiſſum, numosque in priſtinam, puta rotundam formam, reſtitutos fuiſſe.

XCI. A.

Numulus quadratus argenteus Mohaditarum, ined.

Convenit cum ſuperioribus N. LXXXVIII. ſed in averſa parte loco المهدي امامنا *Mahadi eſt Imamus noſter*, legitur القران امامنا *Coranus eſt Imamus noſter*. Excuſus fuiſſe videtur eodem tempore, quo nomen Mahadii e numis deletum fuit. Littera Caf ق in voce القران unicum tantum punctum diacriticum habet, القران, uti hodienum ſcribere ſolent Mauritani.

DYNASTIA SCHERIFORVM.

Qui ab anno inde aerae vulgaris MDLVI in Mauritania regnarunt Scherifi, numos quoque aureos argenteosque ſuo nomine ſignare ſolent. Ad Cuficos quidem non pertinent hi numi: ſed cum raro tamen inveniantur in muſeis eruditorum, unum eorum hoc loco interpretabimur.

XCII. A.

Numus aureus Scherifi Abu-Fares, a. MXVI, Chr. 1605. ined.

I. A. بسم الله الرحمان ا *In nomine Dei miſericordis.*
عبد الله الامام *Abdalla* [ſervus Dei] *Imam*
ابو فارس ا *Abu-Fares elvatek billah*
الواثق بالله [h. e. Deo confidens]
امير المومنين *princeps fidelium.*

In margine, ni fallor, ſententia quaedam Coranica.

II. A. الامام امير المومنين *Imam princeps fidelium*
ابي العباس المنصور *Abu'l-Abbas el-manſur*
بن الامامين . . . . *filius Imamorum . . . .*
امري المومنين *principum fidelium,*
الشريف النبوي *Scherifa propheticus* [h. e. nobilis e poſteris prophetae].

M. ضرب بحصن مراكش حاطها الله سنة اربعة عشر والف
Cuſus in caſtro Maroccano, quod Deus cuſtodiat, a. MXIV, h. e. 1605.

Abu-Fares una cum duobus fratribus, quorum uni cognomen forte fuit el-Manſur in numo laudatum, occupavit regnum Maroccanum ab anno 1603 ad 1608, quo alter fratrum, reliquis pulſis, ſolus thronum ſibi vindicavit.

II.

NVMI AEGYPTIACI.

DYNASTIA ACHSCHIDITARVM.

Achſchid, proprio nomine Abu-beker Muhammed filius Tagagi, natione Turca, e ſtirpe regum Farganae, ut quidem iactabat, oriundus, nomine Chalifae Abbaſidici praefectus fuerat Aegypti, ſed cum debilitatam et repreſſam ſentiret auctoritatem legitimi principis, abſolutum dominium Aegypti aeque ac Syriae arripuit anno CCCXXIV, qua in dignitate ab ipſo Chalifa ſollemnibus tabulis et ritibus confirmatus fuit. Titulum Achſchidi ſibi poſterisque vindicavit, ad imitationem regum Farganae, qui omnes Achſchidi audiebant, eodem modo (verba ſunt Damaſceni in hiſtoria univerſali) quo Romanus Imperator Caeſar, Perſarum rex Coſroës, Arabum Tobba تبع, Muſlemorum Chalifa, Turcorum Chacan خاقان, Aderbiganae Aſpahid اصبهبد, Tabareſtanae Salar سالار, Dilemi Caſan كاسان, Habaſſinorum Nagaſchi النجاشي nuncupabantur. Regnum anno

no CCCXXXIV reliquit filio Al-caſemo (aliis Abu'l-Caſemo) Anugur انوجور الغاسم ſub tutela Cafuri, eunuchi paterni. Cui mortuo a. CCCXLVII ab eodem Cafuro ſuffectus eſt frater Ali. Sed mox hic quoque decubuit, Cafur autem, aſſumto titulo Achſchidi, Aegyptum ſolus adminiſtravit usque ad mortem ſuam a. CCCLV. Succeſſit ei quidem Ahmed, filius Alii, nepos Achſchidi, ſed menſe vix gaviſus fuerat ſumma auctoritate, cum Aegyptus, duce Gauhari, Fatemidis ſubiiceretur. Duravit dynaſtia Achſchiditarum XXXV annos.

Numum unicum et rariſſimum huius dynaſtiae e noſtra collectione proferemus.

XCIII. A.

Numus argenteus Achſchidi, regis Aegypti, a. CCCXXXII, Chr. 943. ined. et unicus.

I. A. لا اله الا الله وحده لا شريك له ابو منصور بن امير المومنين — *Non eſt Deus, praeter Deum. Vnicus eſt, et ſocium non habet. Abu-Manzur, filius principis fidelium.*

Margo interior: بسم الله ضرب هذا الدرهم بمصر سنة اثنين وثلثين وثلثماية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Miſrae anno CCCXXXII.* Chr. 943.

Margo exterior: لله الامر rel. ut in numis Samanidarum.

II. A. لله — *Deo!*
محمد — *Muhammed*
رسول — *apoſtolus*
الله — *eſt Dei.*
المتقي لله — *Mottaki lillah.*
الاخشيد — *Achſchid.*

M. محمد رسول الله ارسله rel. Solitus titulus.

Lauda-

Laudatur, praeter Achſchidum, in averſa parte numi Chalifa Abbaſidicus, Mottaki, in adverſa huius filius Abu-Manzur. E quo colligas, tum Achſchidum multo cultu proſecutum eſſe Chalifam, cuius nomen publice celebrari per ſuum regnum voluerit, tum quoque Chalifam hoc tempore filium belli ducem, imperiique ſocium adſciviſſe, quod utrumque ad hiſtoriam huius principis illuſtrandam faciat. Conf. Abulfeda T. II. pag. 417. 427. Praeterea animadvertendum, Chalifam in hoc numo appellari Mottaki lillah h. e. deum reverens, qui titulus ab Abulfeda quoque ei tribuitur; errare igitur Elmacinum, aliosque, qui eum المقتفي بالله Moctafi billah cognominant.

DYNASTIA CHALIFARVM FATEMIDARVM.

Hiſtoria Fatemidarum, qui e Mauritania in Aegyptum irruperunt, everſaque dynaſtia Achſchiditica, novum ibi regnum fundarunt, et Chalifarum honorem cultumque, ut poſteris Alii, legitime ſibi praeſtandum poſtularunt, fuſe traditur ab Abulfeda, Abulfaragio, Herbeloto aliisque. Hoc loco ſeriem tantum horum principum, Abbaſidicorum Chalifarum aemulorum hoſtiumque acerbiſſimorum, trademus.

Abu-Tamin Maad, cognomine Moëz ledin allah, obiit anno 365.
Abu-Manzur Nezar, cogn. Aziz billah, ob. a. 386.
Abu-Ali Manzur, cogn. Hakem bemr allah, ob. a. 411.
Abu'l-Haſſan Ali, cogn. Daher leïzaz din allah, ob. a. 427.
Abu-Tamin Maad, cogn. Moſtanſer billah, ob. a. 487.
Abu'l-Caſem Ahmed, cognomine Moſtaala beamr allah, ob. a. 495.
Abu-Ali Manſur, cogn. Amer beahkam allah, ob. a. 524.
Abd-el-Magid, fil. Abu'l-Caſemi, cogn. Hafed ledin allah, ob. a. 544.

Abu-

Abu-Manzur Iſmaël, cogn. Dafer beamr allah, ob. a. 549.
Abu'l-Caſem Iſa, cogn. Faiez benaſr allah, ob. a. 555.
Abu-Muhammed Abdalla, cogn. Aded ledin allah, quo mortuo a. 567 Saladinus rerum potitus eſt.

Locupletiſſimam, quae ad hoc usque tempus innotuit, numorum Fatemidarum in Aegypto ſeriem exhibet Muſeum Borgianum.

XCIV. B.

Numus argenteus Moëzzi, primi Chalifae Fatemidae, a. CCCLIX, Chr. 969. ined.

Tres circulos in utraque parte habet hic numus, quorum tituli ſunt ſequentes:

I. Circulus interior: المعز لدين الله امير المومنين *Moëz ledin allah, princeps fidelium.*

Circulus medius: دعا الامام معد لتوحيد الاله الصمد *Invitat Imam Maad ad unitatem Dei aeterni* h. e. ad cultum unico Deo praeſtandum.

Circulus exterior: بسم الله ضرب هذا الدرهم بالمنصورية سنة تسع وخمسين وثلثمية *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma Manſuriae anno CCCLIX*, aerae vulgaris 969.

II. Circulus interior: لا اله الا الله محمد رسول الله *Non eſt Deus, niſi Deus; apoſtolus eius eſt Muhammed.*

Circulus medius: وعلي افضل القطينيه . . . . المنسلبه *et Ali optimus domeſticorum et . . . . poſterorum eius.*

Circulus exterior: محمد رسول الله ارسله بالهدي rel. *Muhammed eſt legatus Dei, quem cum vera religione miſit* rel.

Varios novos titulos profert hic numus, in primis in circulo medio utriusque partis. Ali ſectam ſequebantur, quippe ex eius poſteris oriundi, principes Fatemidae, quare nomen eius plerumque nomini Muhammedis addere laudibusque cele-

brare ſolent. Similem ei, quam in hoc numo legimus, laudationem inſcribebant Schiitae, teſte Abulfeda (T. III. pag. 143.) ſuis templis: محمد وعلي خير البشر Muhammed et Ali ſunt optimi mortalium.

Titulis Imami, et principis fidelium gaudet rex Fatemida, ut Chalifa, vel Muhammedis legitimus, qualem ſe iactabat, ſucceſſor. Eosdem enim titulos Chalifae Abbaſidici ſibi tribuerant. Proprium ei nomen fuit Maad, cognomen Moëz ledin allah [h. e. virtute religionem corroborans]: utrumque in numo celebratur.

Manſuria, ubi excuſus eſt numus, urbs eſt Aegypti ad Nilum, aedificata a Maaddi noſtri anteceſſore, Manſur billah, et ad nomen eius ipſiusque in honorem Manſuria appellata. Alium huius principis numum, Miſrae editum anno CCCLXV laudat cl. Aſſemanius in muſeo Cufico Naniano N. LXXXIV pag. XCIV. et duo minoris moduli exempla recenſentur in muſeo Cufico Borgiano N. XCIII. XCIV.

XCV. B.

Numus aureus Daheri, quarti Chalifae Fatemidae, anni incerti. ined.

I. Area: الظاهر لاعزاز دين *Daher leïzaz din*
الله امير المومنين *allah, princeps fidel.*

Circulus inferior: الامام عبد الله وليه علي ابو الحسن *Imamus, cultor Dei, eiusque amicus, Ali Abu'l-Haſſan.* Nomen proprium Daheri Chalifae.

Circulus exterior: بسم الله ضرب هذا الدنيار *In nomine Dei cuſus eſt hic denarius* . . . . Reliqua detrita ſunt.

II. Area: محمد رسول الله *Muhammed eſt apoſtolus Dei.*
علي ولي الله *Ali amicus Dei.*

Circulus

Circulus interior: لا اله الا الله وحده لا شريك له *Non eſt Deus praeter unum, cui ſocius non eſt.*

Circulus exterior: *Muhammed eſt legatus Dei, quem cum vera religione miſit* rel.

Abd-allah, h. e. ſervus vel cultor Dei, titulus fuit Chalifarum, (ut e numis Almoravidarum ſupra iam intelleximus) qui praeter illos Imami et principis fidelium iis tribuebatur. In hoc numo Chalifa Fatemida titulum auget addita voce وليه „cultor et amicus Dei.„ Proprium huic principi nomen fuit, Ali Abu'l-Haſſan, quod in margine inferiore adverſae partis laudatur; cognomen idem, ut Chalifa, accepit ed-Daher leïzaz din allah, h. e. apparentis ad aſſerendam fidem Dei.

XCVI. B.

Numus aureus Moſtanſeri, quinti Chalifae Fatemidae, a. CCCCXXXIX, Chr. 1047. ined.

I. A.	محمد	*Muhammed.*
	عبد الله وليه	*Cultor et amicus Dei*
	الامام ابو تميم	*Imam Abu-Tamim*
	المستنصر بالله	*al-Monſtanſer billah*
	امير المومنين	*princeps fidelium.*

M. بسم الله الرحمن الرحيم ضرب هذا الدينر بمصر سنة تسع وثلثين واربعماية *In nomine Dei optimi, clementiſſimi, cuſus eſt hic denarius Miſrae anno CCCCXXXIX.* Chr. 1047.

II.	علي	*Ali.*
	لا اله الا الله	*Non eſt Deus niſi Deus*
	وحده لا شريك له	*unus, ſocii expers.*
	محمد رسول الله	*Muh. eſt legatus Dei.*
	ولي الله	*Amicus Dei.*

Iungenda ſunt verba priora cum ultimis: *Ali* (eſt) *amicus Dei.*

M. *Muhammed eſt apoſtolus Dei, quem cum vera religione miſit* rel.

Additur, more ſolito, proprio principis nomini Abu-Tamim, dignitatis titulus: al-Moſtanſer billah, h. e. eius, qui a Deo conſervari cupit. Mirum, hunc numum, ut plerosque ſequentium, Miſrae excuſum eſſe, cum tamen ſedem regiam habuerint Fatemidae Cahirae: ſed officinam monetariam e palatio regio, ubi antea more principum fuerat, in antiquam urbem, Miſram, forte transferri curaverant.

XCVII. B.

Numus aureus eiusdem Chalifae, a. CCCCLXI, Chr. 1068. ined.

Eandem formam habet hic numus, quam argenteus ille Moëzzi, quem ſupra explicavimus, N. XCIV.

I. Circulus interior: المستنصر بالله امير المومنين *Al-Moſtanſer billah, princeps fidelium.*

Circulus medius, ut in numo modo laudato: *Invitat Imam Maad ad unitatem Dei aeterni.*

Circulus exterior: بسم الله ضرب هذا الدينر بمصر سنة احدي وستين واربعماية *In nomine Dei cuſus eſt hic denarius Miſrae anno CCCCLXI*, h. e. 1068.

II. Omnes tres circuli ut in numo Moëzzi.

Idem huic principi nomen fuit, quod Moëzzo, Maad: quare titulus circuli medii anticae partis ex antiquis Moëzzi numis transſcribi potuit.

XCVIII. B.

Numus aureus Manſuri, ſeptimi Chalifae Fatemidae, a. DXVI. Chr. 1122.

I. Area. الامـــام *Imam*
المنصور *Manſur.*

Circulus

Circulus interior: ابو علي الامر باحكام الله امير المومنين
Abu-Ali al-amer beahkam allah, princeps fidelium.

Circulus exterior: بسم الله الرحمان الرحيم ضرب هذا الدينر بمصر سنة ست عشرة وخمسماية *In nomine Dei optimi, clementiſſimi, cuſus eſt hic denarius Miſrae anno DXVI.* Chr. 1122.

II. A. Duo verba arabica, quae quid ſibi velint, non ſatis capio.

Circulus interior: لا اله الا الله محمد رسول الله علي ولي الله
Non eſt Deus, niſi Deus, Muhammed eſt legatus Dei, Ali amicus Dei.

Circulus exterior: *Muhammed eſt legatus Dei, quem cum vera* rel.

Proprium igitur nomen huic Chalifae fuit Abu-Ali Manſur, non, ut perperam eum nominat Elmacinus p. 294 Abu-Manſur Ali; titulis honoris autem et dignitatis, Amer beahkam allah, h. e. iubens leges divinas obſervari.

Similes noſtro numos eiusdemque anni exhibet muſeum Cuficum Nanianum N. XXXII. XXXIII. pag. XXVI ſeq.

XCIX. A.

Numus aureus eiusdem Chalifae, a. DXXX. Chr. 1135. ined.

I. Area ut in numo proxime antecedente.

Circulus interior, ut in eodem.

Circulus exterior: بسم الله الرحمن الرحيم ضرب هذا الدينر بالاسكندرية سنة ثلثين وخمسماية *In nomine Dei optimi, clementiſſimi cuſus eſt hic denarius Alexandriae anno DXXX,* h. e. 1135.

II. Area et uterque circulus, ut in numo praecedente eiusdem Chalifae.

Primus Fatemidarum e noſtris numus, qui Alexandriae editus fuit. De qua urbe Golius ad Alferganum pag. 159 et Schultens in indice geographico ad vitam Saladini. Regiam tamen ſedem habuit Amer, ut anteceſſores, Cahirae: officina

monetaria autem Miſra, ubi antea fuerat, Alexandriam forte migravit, vel alia nova Alexandriae condita fuit.

C. B.

Numus aureus Daferi, noni Chalifae Fatemidae, a. DXLV. Chr. 1156. ined.

I. A. عبد الله ووليه *Cultor et amicus Dei*
اسمعيل ابو *Iſmaël, Abu 'l-*
المنصور الامام *Manſur, Imam*
الظافر بامر الله *ed-Dafer beamr allah,*
امير المومنين *princeps fidelium.*

M. بسم الله الرحمن الرحيم ضرب هذا الدينر بالاسكندرية سنة خمس واربعين وخمسماية *In nomine Dei, optimi, clementiſſimi, cuſus eſt hic denarius Alexandriae, anno DXLV.* h. e. 1150.

II. A. Eadem verba, quae in area poſticae partis numi XCIX apparent. Reliqua ſic legenda:

لا اله الا الله *Non eſt Deus praeter Deum*
وحده لا شريك *unum, cui ſocius non eſt.*
له محمد رسول الله *Muh. eſt apoſtolus Dei,*
علي ولي الله *Ali eſt amicus Dei.*

M. *Muhammed eſt legatus Dei, quem cum vera* rel.

Coniunguntur iterum in hoc numo, nomen et cognomen principis regnantis, illud Abu'l-Manſur Iſmaël, hoc Dafer beamr allah h. e. Dei auſpiciis vincens.

EXCVR-

EXCVRSVS IV.

DE NVMIS VITREIS FATEMIDARVM.

Numos hactenus aureos et argenteos Chalifarum Fatemidarum, in Aegypto excuſos, illuſtravimus: nullus inter eos reperitur aereus. Sed vitra circumferuntur cum titulis Cuficis, quorum nonnulla in Muſeo Borgiano, plura in Naniano delineata ſunt et deſcripta. Putabam olim, ea pecuniae loco non adhibita, ſed alii, neſcio cui, uſui deſtinata fuiſſe: iam autem, cum plura inter ſe conferre potuerim, nullus dubito, ea regnantibus Fatemidis, in Aegypto vel in Sicilia, loco numorum aereorum, quibus caruiſſe videntur, edita fuiſſe. Hiſtorici quidem nihil hac de re, memoria ſatis digna, referunt: ſed hi ad unum omnes rem numariam Arabum vix leviter tangunt. Magna tamen copia horum vitrorum, quae interdum, in Sicilia in primis, e terra effoſſa fuit, ſuadet, ut credam, ea re vera inſtar pecuniae uſurpata fuiſſe. Accedit ratio et indoles titulorum, qui non modo numorum titulis ſimillimi ſunt, ſed Fatemidarum quoque nomina clare exhibent. Quae ut lectoribus ante oculos ponam, omnia, quae adhuc edita fuerunt, vitra breviter recenſebo, praemiſſis Chalifarum nominibus.

I. Moëz ledin allah.

Vitrum album, cum titulo arabico, forma gemini circuli exarato. In circulo exteriore legitur: بسم الله امر به عبد الله معد ابو تميم الامام „In nomine Dei iuſſit hoc Abdalla (cultor Dei) Maad Abu-Tamim Imamus„ h. e. hanc pecuniam edi iuſſit Maad. Nomen hoc fuit primo Aegypti Chalifae Moëzzo. In circulo inferiore: المعز لدين الله (امير المومنين) „Moëz ledin allah (princeps fidelium).„ Vltima verba non clare leguntur. Muſ. Cuf. Borg. n. LX. [7]

II. Aziz

7) In titulis horum numorum vitreorum explicandis neque Aſſemanum vir. cl. neque ea, quae olim ipſe de iis ſcripſi in muſeo Borgiano, ſecutus ſum, ſed ſolam delineationem. His novis curis ſimul emendetur Muſeum Cuficum Borgianum.

II. Aziz billah.

Vitrum album. Titulus hoc modo legendus: صما امر به الامام العزيز بالله امير المومنين „ Iuſſu Imami Aziz billah, principis fidelium.„ Conferantur, quae ſupra animadvertimus ad numum XVI. pag. 17. Muſ. Cuf. Nan. n. CXIX.

III. Hakem beamr allah.

Vitrum viridis coloris, cum titulis in utraque parte. In adverſa legitur nomen الحاكم بامر الله „ Hakem beamr allah.„ In averſa ſymbolum Schiitarum: لا اله الا الله محمد رسول الله علي ولي الله „ Non eſt Deus praeter unum; Muhammed eſt eius apoſtolus, Ali eius amicus.„ Muſ. Cuf. Borg. n. LIX.

Vitrum album, cum hoc titulo: الملك ابو علي الحاكم بامر الله امير المومنين „ Malek (rex) Abu-Ali el-Hakem beamr allah, princeps fidelium.„ Mirum, Chalifam hic Malek, regem, nominari voluiſſe, qui titulus alias regulis tantum fiduciariis tribui ſolebat. Muſ. Cuf. Borg. n. LVIII.

Vitrum ſubrubri coloris. Refert eiusdem Chalifae nomen: الامام الحاكم بامر الله امير المومنين „ Imam Hakem beamr allah, princeps fidelium.„ Muſ. Cuf. Nan. n. XLVI.

Vitrum minoris formae, coloris viridis. Titulus الامام الحاكم „ Imam Hakem.„ Muſ. Cuf. Nan. n. CXX.

IV. Daher leïzaz din allah.

Vitrum album, cum titulo: الظاهر لاعزاز دين الله „ Daher leïzaz din allah.„ Muſ. Cuf. Nan. n. CXXI.

V. Moſtanſer billah.

Vitrum album. احمد الامام المستنصر بالله امير المومنين „ Ahmed. Imam Moſtanſer billah, princeps fidelium.„ Ahmed nomen forte fuit praefecto rei numariae. Muſ. Cuf. Borg. n. LVII.

Duo

Duo vitrea minoris formae, viridis coloris. Nomen exhibent: الامام معد „ Imam Maad. „ Quod nomen commune quidem fuit primo et quinto Fatemidarum in Aegypto Chalifae: ne tamen iuſto antiquiora habeantur, huic quinto ea vindicare maluimus. Muſ. Cuf. Nan. n. CXXII. CXXIII.

XI. Aded ledin allah.

Vitrum album. Nomen ultimi Chalifae Fatemidae exhibet: الامام العاضد لدين الله „ Imam Aded ledin allah. „ Muſ. Cuf. Nan. n. CXXIV.

Quatuor praeterea vitrea delineata reperiuntur, tria in Muſeo Naniano n. XLVII. XLVIII. CXXV, et unum in Borgiano, n. LXI quorum tituli legi non poſſunt.

Pluribus vix opus eſſe videtur ad confirmandam noſtram ſententiam, vitreos numos a Fatemidis editos fuiſſe. Tituli per ſe loquuntur. Certiora tamen, de valore eorum, et de occaſione, qua primum divulgati fuerunt, quae tradam, non habeo.

Dubio uni, quod ab Aſſemano motum lego, (in muſeo Cufico Naniano pag. LXXVI) adhuc reſpondere liceat. Invenit vir cl. inter Nanianos numos unum aeneum Moſtanſeri, Chalifae Fatemidae, (n. CXIV) et inde concludit, vitrea illa locum aereorum numorum tenere non potuiſſe. Sed animadvertendum, hunc numum aerae et urbis indicio carere, Fatemidas autem in Aegypto et in Sicilia regnaſſe: ideoque, ſi in uno regno pecunia aerea eorum auctoritate excuſa fuerit, inde non effici, eandem in altero quoque valuiſſe. Quid ergo, ſi aereus ille Nanianus Aegyptiacus ſit, vitrei autem Siculi, quorum multi in Sicilia hodie adhuc effoduntur? Tres alii numi aerei, qui a cl. Aſſemano Fatemidis tribuuntur (Muſ. Nan. XXXIV. XXXV. XXXVI) nimis ſunt ambigui et incerti, quam ut hoc loco in cenſum veniant.

DYNASTIA AIVBIDARVM.

Post mortem Adedi, ultimi Fatemidae, imperii potitus est Saladinus, [pleno nomine, al-Malek en-Naser Salah-ed-din Iusuf fil. Aiubi vel Iobi] novamque in Aegypto dynastiam fundavit, quam Aiubiticam appellare solemus.

Huius Saladini et posterorum nomina multoties quidem celebrantur in numis Arabicis antiquis, sed plurimi horum non ab ipsis Aiubidis, sed a regulis iis subiectis excusi sunt, qui honoris atque obsequii caussa illorum nomina numis inscribere solebant. Quod inter hos numos discrimen cum non semper accurate observatum fuerit, indicem hoc loco dabimus tum eorum, qui re vera pertinent ad Aiubidas, tum eorum, qui minus.

Saladini et aliorum huius familiae principum sunt:

Borgiani XXIV. XXV. XXVI. primus argenteus, reliqui aerei, ad dynastiam Aiubidarum vel Saladinorum in Aegypto pertinentes,

Borgiani XXVII ad XXX, prior argenteus, reliqui aerei, ad dynastiam Aiubidarum Aleppinensem referendi,

Naniani XC ad XCIII aerei, a regibus Adelo et Azizo in Aegypto cusi,

Naniani XCIV ad XCVI, aerei, a regibus Dahero et Azizo Aleppi signati, et

Nanianus XCVII aureus, regis Aegypti Saleh Nogm-ed-dini; porro

Reiskiani septem, nimirum: numus aereus post a. DXC excusus a Malec ed-Dahero Saladini filio [Repertorium bibl. et or. T. XVIII. p. 54 med.], alius aereus, a Malec el-Azizo, Daheri filio, editus post a. DCXIII [ibid. p. 62 fin.], numus argenteus signatus Damasci a. DCXVI a Malec el-Camelo [ibid. pag. 63.], alius argenteus Aleppo cusus a. DCXIX a Malec ed-

Dahero

Dahero [ibid. p. 65.], alius eiusdem principis anno DCXX editus [ibid.], numus aereus post a. DCXXXIV signatus a Malec en-Nasero, ultimo principe e posteris Saladini [ibid. p. 70 init.], denique numus aureus principis Malec es-Saleh, Cahirae excusus anno DCLI [ibid. pag. 74.]

Nullus horum numorum Aiubiticorum imaginibus est ornatus.

Excludendi autem sunt a serie numorum Aiubiticorum sequentes:

Borgianus XCVIII [Mus. Cufic. Borgianum Romae editum pag. 157.] qui, ut supra monstravimus p. 116. pertinet ad Naser-ed-dinum Ortocidam.

Borgianus XLI [Mus. Cufic. Borg. pag. 67.] quem, invitus quidem, tribuebam Malec el-Camelo Aiubidae. Sed huius Aiubidae iussu et auspiciis signatus est a quodam principe Turca, cuius nomen referebat margo posticae partis, in illo exemplo vetustate detritus.

Nanianus XCIX, qui sine dubio referendus est ad Malec es-Saleh Naser-ed-dinum Ortocidam, Amidae regem.

Reiskianus anni DLXX, [in repertorio supra laudato T. XVIII. pag. 39.] a cliente quodam Saladini, cuius nomen detritum est, signatus.

Reiskianus anni DLXXXI, [ibid. p. 40.] idem, quem supra N. LXVII exhibuimus, ab Husam-ed-dino Ortocida excusus.

Reiskianus anni DXCIX, [ibid. pag. 54.] idem cum numo XCVIII Musei Cufici Borgiani, Romae editi, non quidem Malec el-adelo Aiubidae, sed Nasr-ed-dino Ortoc Arslan tribuendus.

Reiskianus anni DCVII, [ibid. pag. 59.] idem cum Borgiano illo XXXVII, quem supra illustravimus pag. 117. 118. Denique

Reiskianus anni DCXXIII, [ibid. pag. 67.] ſimilis Borgiano XLI modo laudato. Et hi numi omnes, ab Aiubidis alieni, imaginibus et picturis ornati ſunt.

Confirmari his obſervationibus gaudeo ſententiam noſtram, olim in Muſeo Borgiano pag. 68 dubitanter prolatam, inter tot Aiubiticae dynaſtiae numos nullum figura vel effigie ornatum inveniri.

Hoc loco alium Aiubidarum numum proferendum non habemus, quam eundem qui in Muſeo Cufico Borgiano p. 70 N. XLIII iam laudatus et explicatus fuit. Quare ſine mora ad Hiſpanicos numos progrediamur.







NVMI
CHALIFARVM ET DYNASTIARVM
IN ANDALVSIA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-11609/fragment/page=00000179

NVMI CHALIFARVM OMMIADARVM
in Andaluſia.

Subacta fuit Andaluſia (nomen hoc in genere Hiſpaniae tribuunt Arabes) anno fugae XCIV, Chr. 712, regnante Damaſci Valido Chalifa, a Muſa, Africae gubernatore. Tranſiit deinde poſt exſcidium imperii Ommiadarum Damaſceni anno CXXXIX, Chr. 756, in poteſtatem Abu'l-Modafferi Abd-er-rahmani Dacheli (h. e. advenae), qui novi ibi Ommiadarum regni fundamenta iecit, quod ad annum usque CCCCXXX, Chr. 1038, duravit. [8]

Quo tempore Damaſcenis Chalifis paruit Andaluſia, Aſiatica pecunia ſine dubio uſa fuit. Ommiadae autem cum omni Aſiaticorum Chalifarum in hoc regnum iure illud quoque numorum cudendorum abrogarunt propriamque officinam monetariam in regia ſua ſede condiderunt. Egregium horum numum e Muſeo Borgiano proferemus.

CI. B.

Numus argenteus Ommiadarum in Hiſpania,
a. CLXV. Chr. 781. ined. *Similis numus in muſ. Caſ. T. I. N. 1.*

Tituli praeſtantiſſimi huius numi, antiquiſſimi et unici fere inter Andaluſenos numos adhuc cognitos, iidem ſunt, qui in antiquis Aſiaticis Ommiadarum leguntur; litterarum forma autem minus nitide et accurate ab inciſore expreſſa.

1. A. لا اله الا الله وحده لا شريك له *Non eſt Deus niſi Deus unicus, qui ſocium non habet.*

M.

8) Abulfedae annales Muſlemici T. II. p. 11.

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالاندلس سنة خمس وستين وميتة *In nomine Dei cusa est haec drachma in Andalusia, anno CLXV.* h. e. aerae vulgaris 781.

II. A. الله احد الله *Deus est unicus, Deus*
الصمد لم يلد و *est aeternus, non genuit,*
لم يولد ولم يكن *neque generatus est, neque*
له كفوا احد *est ei similis alius.*

M. *Muhammed est apostolus Dei, quem cum vera* rel.

Excusus igitur est ab ipso Ommadici regni in Hispania fundatore, Abd-er-rahmano Chalifa, qui vivis excedebat anno CLXXI, Chr. 787, postquam annis tribus et triginta regnasset; eoque refelluntur, quae in praefatione Musei Cufici Borgiani pag. 15, Deguignium secuti, asseruimus, Abd-er-rahmanum II Hacami filium, (qui regnum adiit a. CCVI, Chr. 822) primum fuisse, qui suo nomine numos in Andalusia signaverit.

Similis numus, recentior tamen, quippe excusus anno CLXVI, e schedis Reiskii laudatur in repertorio biblico et orientali Eichhorniano T. XVII. pag. 253. Alius, nostro valde absimilis, formam Abbasidicorum numorum referens, anno CCCLV excusus, in Museo Naniano N. LXXXIII. pag. XCIII. Vtrumque Borgianus noster antiquitate superat.

Ceterum e collatione huius numi cum Naniano modo laudato efficitur, Ommiadas in Hispania primum quidem conservasse antiquos illos numorum titulos, quibus Chalifae Damasceni usi fuerant, deinde autem morem Abbasidarum, qui alios titulos pro antiquis illis substituerant, secutos esse, quod quo tempore factum sit, alii forte huius dynastiae numi aliquando in lucem producendi docebunt.

NVMI DYNASTIARVM v. GVBERNATORVM in Andalusia.

Obscura est historia gubernatorum vel regulorum, qui in Hispania summam potestatem tempore Ommiadarum arripuerunt; obscuri quoque sunt numi ab iis editi. Paucos, quos ante oculos habemus, ordine chronologico recensebimus, et adnotatiunculis nostris illustrare tentabimus.

CII. B.

Numus aeneus Chalifae Heschami et Hagebi Ismaël. ineditus.

I. A. Litterae obscurae.

الامام هشام *Imam Heſcham*
امير المومنين *princeps fidelium,*
المويد بالله *Al-movaiied billah.*

Litterae iterum detritae.

M. *Muhammed est apostolus Dei, quem cum vera* rel. Vltima verba ob spatii angustiam omissa sunt.

II. A. الحاجب *Al-Hageb.*
لا اله الا *Non est Deus nisi*
الله وحده *Deus unicus,*
لا شريك له *socii expers.*
اسمعيل *Ismaël.*

Coniungendae sunt prima et ultima linea: *Al-Hageb Ismaël.*

M. . . . . بسم الله ضرب هذا الدرهم بالاندلس سنة [9]

In nomine Dei cusa est haec drachma in Andalusia, anno . . . . .

He-

9) Observanda est forma litterae ٥ quae hoc loco, et quoties in his numis recurrit, ex duabus lineis spatiolo divisis constat, quae ei formam fere dant duarum litterarum, Elif et Mem finalis.

Heschamus, cognomine al-Movaiied billah h. e. per Deum confirmati, Chalifatum in Andalusia tenuit ab anno inde CCCLXVI ad CCCXCIX. Circa hoc tempus aliquis al-Hageb Ismaël, e stirpe Beni-Zenon, Toletum invasisse dicitur,[10] qui an idem sit cum eo, quem numus noster celebrat, asserere non audeo. Additur aliud, nescio cuius, nomen in prima et ultima linea areae adversae partis, non multum absimile, quantum e litterarum ductibus detritis intelligi potest, cognomini ipsius Chalifae, al-Movaiied billah. Certi quamvis nihil habeam, opinionem tamen meam proferre liceat. Decem annorum puer erat Hescham Movaiied billah, cum regnum adiret. Huius, ut rei publicae gerendae nondum idonei, regnique curam in se suscipiebat Abu-Amer Muhammed, cum titulo Mansuri; Hagebum, h. e. ut verbis utar Leonis Africani, summum regni cancellarium, vel ut rectius nomen interpretatur Rodericus Toletanus, viceregem agebat, expediebat omnia mandata, hostium urbes sibi subigebat, verbo, solus regnabat. Qua in dignitate mansit usque ad annum CCCXCIII.[11] Num forte noster Hagebus vel antecessor, vel successor illius Abu-Ameri fuerit, vel eodem temporis spatio, illo forte remoto, regnum administraverit? nomen ei fuerit Ismaël, et cognomen instar cognominis Mansuri, quo Abu-Amer gaudebat, illud, quod sub litteris nimis detritis adversae partis latet? Abulfeda quidem aliique, quos consului, auctores eum non laudant: sed si laudarent, res quoque non ambigua esset.

Sed supersest alia in eodem numo difficultas. In margine aversae partis, ubi post verba: cusa est haec drachma in Andalusia, pro more solito aera additur, media vox esse videtur وارديعين quadragesimo, quae tamen nullo modo conciliari potest

10) Casiri bibliotheca Arab. Escurial. T. II. p. 214.

11) Abulfedae annales Muslemici T. II. pag. 533. Casiri bibliotheca arabica T. II. p. 202.

potest cum illo annorum spatio, ab a. CCCLXVI ad CCCXCIII, in quod regnum Chalifae incidit.

Minus insolitum est in numis Arabicis, nomen regni loco nominis urbis laudari; imo metropolis et regia sedes eodem saepe nomine, quo regnum, designabatur. Ita in nunis et monumentis Siculis frequenter venit بصقلية in Sicilia, vel quoque بمدينة صقلية in urbe vel metropoli Sicilia, quo Panormum innuitur.[12] Hoc loco Corduba, quae Ommiadarum erat sedes, sine dubio generaliore illo nomine Andulusiae designatur.

CIII. A.

Numus argenteus Chalifae Heschami et Hagebi Abd-al-malek anni CCCXCIII. Chr. 1002. ined.

I. A. الحاجب *Al-Hageb.*
الامام هشام *Imam Hescham*
امير المومنين *princeps fidelium,*
المويد بالله *al-Movaiied billah.*
عبد الملك *Abd-al-malek.*

Iungenda sunt verba: *Al-Hageb Abd-al-malek.*

M. *Muhammed est apostolus Dei, quem cum vera* rel.

II. A. لا اله الا *Non est Deus praeter*
الله وحده *Deum unicum,*
لا شريك له *cui socius non est.*
عبد الملك *Abd-al-malek.*

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالاندلس سنة ثلث وتسعين وثلثة ... *In nomine Dei cusa est haec drachma in Andalusia anno CCCXCIII,* h. e. aerae nostrae 1002.

12) Vide Chr. Theophili de Murr diss. de inscriptione arabica pallii Imperialis, Norimbergae 1790. pag. 9.

Minore obſcuritate laborat hic numus quam antecedens. Qui enim hic laudatur Abd-al-malek, ab Abulfeda [13] quoque celebratur, qui eum in dignitate Hagebi, quem appellant, aut viceregis, ſub titulo Modafferi, h. e. victorioſi, patri Abu-Amero ſucceſſiſſe refert anno CCCXCIII, eodem, quo ſignatus eſt numus, regnumque adminiſtraſſe ſeptennium.

CIV. B.

Numus aeneus Chalifae Mahadii et Emiri ignoti. ineditus.

I. A. الامير *Emir.*
الامام محمد *Imam Muhammed*
امير المومنين *princeps fidelium,*
المهدي بالله *al-Mahadi billah.*

Nomen obſcurum.

Prima vox Emir pertinet ad ultimam lineam, quae nomen Emiri exhibet, lectu difficilem.

M. *Muhammed eſt legatus Dei, quem cum vera* rel.

II. A. لا اله الا الله *Non eſt Deus, niſi*
الله وحده *Deus unicus,*
لا شريك له *ſocii expers.*

M. بسم الله ضرب هذا الدرهم بالاندلس سنة ..... *In nomine Dei cuſa eſt haec drachma in Andaluſia, anno ....*

Muhammed, modo laudati Heſchami al-Movaiied filius et ſucceſſor, cum titulo al-Mahadi billah Chalifarum Ommiadarum in Hiſpania ſedem occupavit anno CCCXCIX, tenuit usque ad annum CCCCI, quo Heſcham, Raſchidi filius, ei ſucceſſit. In hoc tempus incidit numus noſter.

Quis

13) Abulfedae annales T. II. pag. 607.

Quis autem sit ille Emir, cuius sub auspiciis editus fuit, ignoro. Vestigia quidem apparent nominis خيران Chairan, sed hic non sub Muhammede, neque ante annum CCCVII, teste Abulfeda, insurgebat. Forte عمر Amri, nomen Hagebi l. Vesiri Mahâdii. V. Tychsen comment. de numis Arab. Hispan. pag. 84.

Aera numi eadem obscuritate laborat, qua aera numi CII. Litterae enim licet verba dare videantur ثلث واربعين quadragesimo tertio, aut ثلث واربعماية quadringentesimo tertio, nullo modo tamen haec conciliari possunt cum eo temporis spatio, quo Mahadi, in numo laudatus, Chalifatum tenuit. Quae quomodo explicanda sint, non video. Vide Tychsen l. c.

Tantum de numis Hispanicis. Supereſt, ut duo alios numos Musei Cufici Borgiani XCI et XCII, olim temere a me inter Abbasidicos collocatos, Hispanicis vindicem, et iterum duo, eiusdem Musei, nimirum XX et XCVI, Hispaniae minus recte tributos, e serie numorum Hispanicorum tollam. Priorum titulos primum examinabimus.

Numus XCI in adversa parte exhibet nomina: الامام هشام المويد بالله عماد الدولة احمد „ Imam Hescham el-movaied billah. Emad-ed-daulat Ahmed. „ in aversa titulum solitum. Tribuendus igitur eidem Heschamo Chalifae, Andalusiae imperatori, qui numos nostros CII et CIII, modo laudatos, suo nomine signavit. Emad-ed-daulat Ahmed nomen et cognomen est reguli cuiusdam vel gubernatoris Chalifae subiecti. Vrbis nomen in margine aversae partis legendum بالاندلس „ in Andalusia „ pro بواسط „Vaseti. „ Recte iam viderunt viri cll. Assemanius et Tychsenius,[14] hunc numum ad Abbasidas referri non posse, ille tamen, iterum immerito, Buidis eum tribuere voluit.

14) Assemani Mus. Cuf. Nanian. II. pag. LIII. Tychsen comment. de numis arab. I. pag. 11. coll. III. pag. 53.

Numus XCII lectu eſt difficilis; et quo principe regnante, quo anno cuſus ſit, e rudibus litterarum formis vix extricaveris. Dedi olim, quae potui, ſed rem non tetigi. Hiſpanicum autem eſſe numum, patet ex tota eius indole, in primis ex inſolita illa formae litterae ـه finalis, in voce سنـه, et alibi, de qua ſupra ad numum CII.

Reliqui duo XX et XCVI, quos Hiſpaniae tribueram, nomina exhibent Chalifarum Abbaſidarum, Caiemi, et Moctadii [non Moctaderi], quorum auctoritatem numquam agnoſcebant principes Hiſpaniae. Signati ſunt ſine dubio a regulis Chalifae Abbaſidico ſubditis, inter annos CCCCXXII et CCCCLXXXVII. Ceterum nomen Abdalla h. e. Dei ſervus, quod in numo XX legitur, commune erat Chalifis Abbaſidicae domus, ut ſupra iam monuimus.

NVMI

NVMI CVFICI
A CHRISTIANIS EXCVSI
ET BILINGVES.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-11609/fragment/page=00000189

Non omnino incogniti ſunt numi Arabici a principibus Chriſtianis excuſi, quorum alii titulos mere arabicos, alii in adverſo numo arabicum, in averſo vernaculum exhibent; nonnulli praeter nomen principis ſymbola Chriſtianorum, alii laudationem pſeudoprophetae Muhammedis continere ſolent. Huius generis ſunt e. c. numi argentei et aerei tempore Normanorum in Sicilia ſignati, et numi aurei Toletani regis Alfonſi VIII,[15] quos in Muſeo Cufico Borgiano, Romae edito, explicavimus. Iam autem numerum eiusmodi numorum eximiis nonnullis atque ineditis augebimus, in primis arabico-graecis et arabico-mongolico.

Ad originem numorum bilinguium quod attinet, patet, eos a principibus Chriſtianorum, qui in Aſia vel aliis regionibus, a Muhammedanis occupatis, dominabantur, eo fine ſignatos eſſe, ut a Chriſtianis aeque ac Muhammedanis in ſolvenda vel commutanda pecunia acciperentur. Interdum quoque obſequii et obſervantiae cauſſa coacti fuerunt reguli Chriſtiani, ut reges Georgiae, numis ſuis, arabicis litteris inſcribere nomen Imperatoris Muhammedani, cuius clientes ſe profitebantur.

NVMI

15) Quae in interpretatione tituli anticae partis in Muſeo Cufico Borgiano pag. 87 omiſſa ſunt verba, hoc modo ſunt ſupplenda: بسم الاب والابن والروح القدس الاله الواحد من امن وتعمد يكون سالما ، h. e. „In nomine Patris et Filii et Spiritus ſancti, Dei unius. Qui credit et baptizatur, ſervabitur.„ In area poſticae partis pro شنجه legendum eſt شنجه Ab Abulfeda enim ſcribitur hoc nomen سانجه.

NVMI IMPERATORVM BYZANTINORVM.

I. *LEONIS IV CHAZARI.*

regn. a. Chr. 775 — 780.

CV. B.

Numus aeneus arabicus Leonis IV.

Adverſa pars numi exhibet figuras Leonis IV eiusque filii Conſtantini, utriusque pedibus ſtantis, et manu crucem tenentis. Alia crucis figura in capite numi ſuſpenſa cernitur.

In averſo numo animadvertitur littera M, de cuius ſignificatione videſis quae adnotavimus ad muſeum Cuficum Borgianum, Romae editum, pag. 72. adn. 90. Supra haec figura ☧, Chriſti monogramma. In margine litterae quaedam, graecis non abſimiles, reperiuntur; infra autem nomen urbis, arabice ſcriptum, دمشق *Damaſci.*

CVI. B.

Numus aeneus arabico-graecus Leonis IV.

Adverſus numus exhibet effigiem Leonis, togati, capite coronato, dextra cruci oblongae innixi, ſiniſtra globum crucigerum tenentis; et a latere aquilam, litterae T vel ſigno militari inſidentem. In margine nomen urbis, graece ſcriptum, legitur: ΔΑΜΑCΚΟC.

In parte averſa folita reperitur littera M, cum monogrammate Chriſti, et titulus arabicus: ضرب دمشق خازر *Cuſus Damaſci. Chazarus.*

CVII. B.

Numus aeneus arabico-graecus Leonis IV.

Effigies Leonis, ut in numo antecedente. In margine nomen, graecis litteris exaratum, ΛΕΟ.

In numo averſo littera M cum monogammate, et titulus arabicus ضرب دمشق خازر *Cuſus Damaſci. Chazarus.*

CVIII. B.

CVIII. B.

Idem numus.

Eandem effigiem, et inſcriptionem exhibet, quam antecedens, ſed illam paullo groſſiorem, hanc grandioribus litteris exaratam.

Laudantur hi numi cum aliis Leonis Chazari in egregio Numiſmatum Imperatorum Romanorum a Traiano Decio ad Conſtantinum Draconem ab Anſelmo Bandurio editorum ſupplemento, ſtudio Hieronymi Taninii edito Romae MDCCXCI fol. pag. 416. 417. quod opus cum multis aliis e munificentia Eminentiſſimi Cardinalis Stephani Borgiae poſſideo.

CIX. B.

Numus aeneus arabicus Leonis IV. ined.

I. Effigies principis, manu clavam, vel gladium, vel ſimile quid tenentis, addito in margine titulo محمد خزاري *Muhammed. Chazarus.*

II. Crux, tribus gradibus impoſita. Infra ſignum ٥, de quo vide muſeum Cuficum Borgianum, Romae editum, pag. 72 adn. 90. In margine: محمد *Muhammed.*

Ne quem offendat illa crucis figura inſcite picta, animadvertendum, eandem in numis graecis coaetaneis Heraclii II, Conſtantini et Irenae, Theophili, al. quoque reperiri.

Chazarus ille, in numo laudatus, ſine dubio eſt Leo IV Chazarus, Imperator Graecorum, qui antecedentes quoque numos ſuo nomine ſignavit.[16] Sed quid ſibi velit illud Muhammed, ignoro, niſi reſpiciat ad nomen pſeudoprophetae, vel tritum illud Muhammedanorum ſymbolum: Muhammed eſt apoſtolus Dei, quod plene quoque legitur in aliis huius aevi numis arabicis, a Chriſtianis excuſis.

16) Obſervanda varia nominis orthographia. Hoc loco enim ſcribitur خزاري, ſupra erat خازري

CX. B.

Duo numi aenei eiusdem generis.

I. Caput principis. In margine titulus: في سنة ثمنين *anno octuageſimo.*

II. Crux, tribus gradibus impoſita. Titulus, qui crucem ambit, lectu difficilis.

Ad eundem Leonem Chazarum pertinere videntur hi duo numi, licet eius nomen non exhibeant. Cui ſi vindicantur, aeram exhibent Chriſtianam, nempe annum ſeptingenteſimum octuageſimum (omiſſo ob ſpatii anguſtiam numero centenario), eundem quo obiit Leo.

Revocanda mihi nunc eſt ſententia, quam olim in muſeo Borgiano de hoc numorum Arabicorum genere propoſui pag. 71 ſeqq. et quam cl. Aſſemanium quoque adoptaſſe video in muſeo Naniano pag. XXXVIII et CVII. figuram nimirum eſſe effigiem Servatoris, numosque pertinere ad aliquem principem Turcam, qui effigiem una cum cruce e numis Byzantinis deſcripſerit. Vindicandi ſunt omnes, et Borgiani, et Naniani, cum illis, quos modo explicavimus, niſi eidem, quod veriſimile eſt, Leoni Chazaro, ſaltem alii Graecorum Imperatori, qui eos in Syria excudi, ſuaque effigie ſignari curavit, addito in quibusdam, indulgentiae cauſſa, Muhammedanorum ſymbolo.

II. *CONSTANTINI VI PORPHYROGENNETAE.*

regn. a. Chr. 780 — 799.

CXI. B.

Numulus aureus arabico-latinus Conſtantini Porphyrogennetae.

ined.

I. A. لا اله *Non eſt Deus,*
لا الله *niſi Deus.*

M. . . . . TANTINVS RX AN XCVIII.

II. A.

II. A. محمد ر *Muhammed eſt*
سول الله *apoſtolus Dei.*

M. Litterae ignotae.

Aera innuere videtur annum DCCXCVIII ad computum Chriſtianorum, omiſſo numero centenario. *Potius annum 1098 Graecorum (Chr. 786) omiſſo numero millenario.*

NVMI REGVM GEORGIAE.

Saepius a Turcis tentatam eſſe, bis expugnatam Georgiam, legimus. Alp-arſlan enim, Perſiae e gente Selgukidarum Imperator, circiter annum fugae CCCCLXIV, Chr. 1072, totum ſibi regnum ſubiecit, incolasque in ſervitutem adegit.[17] Anno autem DCXXIII Gelal-ed-din Mancberni, Chorazmiae Imperator, iterum bello Georgianos laceſſivit, et poſt ingentem inter eos editam cladem, Teflisum, regiam, expugnavit, provinciamque ſui iuris fecit.[18] Selgukidis quoque Iconii regibus, eodem fere tempore paruiſſe Georgiam, olim e numis[19] efficere volui, conſentiente mecum cl. Tychſenio;[20] ſed cum tituli horum numorum, ut infra videbimus, male ſint intellecti, ab hac ſententia, ab hiſtoricis non confirmata, libenter recedo. Numi igitur Georgiani, titulis arabicis ornati, vel tempore Alp-arſlani, vel Gelal-ed-dini Mancberni excuſi ſint, neceſſe eſt. Priori autem cum vindicari non poſſint, propter intervallum duorum fere ſaeculorum, quod inter ipſum et Georgianos principes, in iisdem numis laudatos, intercedit: ſequitur, eos Gelal-ed-dino, Chorazmiae Imperatori, tribuendos eſſe. Id quod tituli quoque numorum, quos explicandos nunc aggredimur, egregie confirmabunt. Georgianarum vocum interpretationem

17) Deguignes hiſtoire des Huns. T. II. P. I. p. 211.

18) Deguignes l. c. T. II. P. II. p. 283. Abulfedae annales T. IV. ad hunc annum.

19) In Muſeo Cufico Borgiano p. 165.

20) In commentatione II. de numis arab. p. 7.

eidem debeo amico, cui multa debent harum rerum curioſi, R. P. Stephano Avutandil, Archiepiſcopo Tefliſenſi, Romae degenti.

Tamar, Georgiae Regina.

Huius reginae, inter principes Georgiae celeberrimae, numi nulli, arabicis titulis ſignati, qui Perſarum dominationem prodant, cogniti ſunt: ſumma ergo cum poteſtate tenuiſſe videtur imperium victorioſa regina. Qui enim illi tribuitur numus 3 Tychſenianus,[21] ad unum ſucceſſorem eius pertinere, infra monſtrabimus. Obiit a. Chr. 1220.

Georgius laſcha, Tamarae filius, Rex Georgiae.

CXII. B.

Numus aeneus arabico-georgianus Gelal-ed-dini Mancberni et Georgii laſcha, ined.

In adverſa parte titulus arabicus, hoc modo legendus et explicandus:

الملك الملوك	*Rex Regum*
جلال الدنيا والدين	*Gelal-eddunia vaddin.*
كيورك بن تامار	*Georgius filius Tamar.*
٨ . .	6 . . [forte aera]

In averſo numo duo apparent litterarum compendia ፒ፬ገ et ፡ፀዘገ, rectius hoc modo ſcribenda ጒ·ሐገ· et ፡ሕሐነ, quorum prius duo format verba ጒነዐ·ሐጒነ ሐገ *Ghiorghi Ze*, h. e. *Georgius, filius.* Alterum nomen dat ፡ርሕርሐነነ *Tamariſi*, h. e. *Tamarae:* coniunctim, *Georgius, filius Tamarae.* Quae inſcriptio egregie reſpondet arabicae in antica parte numi.

Eidem Georgio et Sultano Gelal-ed-dino vindicandus eſt numus Borgianus XXXII, olim a me, ſed minus recte, explicatus.

21) Tychſenii commentatio II. pag. 7. 8.

catus. Titulus enim arabicus huius numi legi debet, الملك العاظم جلال الدنيا والدين كيورك بن تامار . . . *Rex magnus, Gelal-ed-dunia va'd-din. Georgius filius Tamarae . . .*

Ad eosdem principes quoque pertinet numus Tychſenianus 19 Tab. III. (in commentatione ſecunda de numis orientalibus) cuius titulus arabicus hoc modo legendus eſt: .... الملك جلال الدنيا و..... كيوركي بن تامار *Rex auguſtus Gelal-ed-dunia va'd-din. Georgius, filius Tamarae.*

Hunc Georgium circiter annum Chr. 1223 obiiſſe, regnumque ſorori, Ruſudan, reliquiſſe, obſervavimus ad muſeum Cuficum Borgianum pag. 164.

Ruſudan, filia Tamarae, Regina Georgiae.

CXIII. B.

Nnmus argenteus arabico-georgianus Gelal-ed-dini et Ruſudanae, ined.

Primus huius generis numorum, argenteus; omnes enim, qui hucusque cogniti fuerunt, ſunt aerei.

In area adverſae partis legitur litterarum compendium ᲠᲣᲓ h. e. ᲠᲣᲓᲣᲓᲐᲜᲐ *Ruſudan.* In margine titulus arabicus: الملك الملوك جلال الدنيا والدين..... (ناظر) المسيح *Rex regum, Gelal-ed-dunia va'd-din .... oculus Chriſti.* Verba abſciſſa nomen exhibebant reginae Georgianae, cui epitheton tribuitur oculi Chriſti.

In area averſi numi animadvertitur caput Servatoris nimbo cinctum, appoſitis ab utraque parte litteris graecis IC XC h. e. Ιησους Χριϛος. In margine inſcriptio Georgiana: ᲙᲐᲠᲗᲕᲔᲚᲘᲡᲐ ᲗᲐᲜᲐᲛᲓᲔᲑᲐᲠᲔ h. e. *gratia Dei.* Deſideratur una vox, in numo ex parte abſciſſa, quae ſine dubio erat, aut ᲙᲐᲠᲗ h. e. *Rex* (Reginae enim Georgiae titulum Regis interdum uſurpabant) aut

aut ᲠᲣᲡᲣᲓᲘᲜᲘ h. e. *Regina.* Iuncta cum antecedentibus: *Ruſudan, Dei gratia Regina.*

Omnino fere ſubiugata fuit haec regina a Perſis, ſolo fere nomine princiips ei relicto. Poſt multas acceptas calamitates, quo maiores, et nuptias in primis cum Imperatore quodam Tartarico celebrandas, evaderet, ſumto veneno exſpiravit anno Chriſti 1247.

CXIV. B.

Numi quatuor aerei arabico-georgiani eiusdem reginae.

In area adverſae partis idem litterarum compendium reperitur, quod in antecedente, legendum: *Ruſudan.*

In averſo numo legitur:

الملك الملوك الملك	*Rex regum, rex*
جلال الدنيا والدولة والدين	*Gelal-ed-dunia va'd-daulat va'd-din.*
رسدان ناظر المسيح	*Ruſudan oculus Chriſti.*
اعز الله ايامه	Verba ignota.

Tychsen: طهير adiutor.

T.C. Tychsen comment. de numis Arab. Hisp. p. 90. sq.

cuius dies (regnum) Deus illustret

Gèlaleddunia vaddaulat vaddin h. e. gloria mundi, dynaſtiae et religionis, plenus eſt titulus Mancbernii, qui vulgo brevibus Gelaleddin h. e. gloria religionis efferri ſolet.

Eodem modo explicandus et ad eundem Gelal-ed-dinum Chovarezmiae Imperatorem referendus eſt numus Tychſenianus Tab. III. 5. deſcriptus in commentatione ſecunda de numis Cuficis pag. 8.

Nara David, filius Georgii, Rex Georgiae.

Huic denique regi vindico numum Tychſenianum tertium Tab. III. (commentatione II. pag. 7. 8.) hoc modo explicandum:

(السلطان

(السلطان العظيم) *Sultanus auguſtus*
جلال الدنيا والدين *Gelal ed-dunia va'd-din.*
نارا بن كيوركي *Nara, filius Georgii,*
ظهير المسيح *adiutor Chriſti.*

et in averſa parte georgianice litterarum compendia *Da t* et *Tr* [reliqua detrita] h. e. *Davit* vel Davides (filius vel nepos) *Tamarae.*

A Deguignio appellatur hic rex Mepe Narin David: in numo Nara legitur. Filius fuit Georgii laſcha, qui parvulus adhuc cum pater obiret, amitae, Ruſudanae, regnum ceſſerat, deinde autem eiusdem legitimus ſucceſſor, filio Ruſudanae excluſo, ab Imperatore Perſarum conſtitutus fuit.[22]

Tres itaque principes Georgianorum paucis annis interiectis regnum Georgiae tenuerunt, omnes eidem Chovarezmiae Imperatori ſubiecti, qui annis 1220 ad 1231 regnavit.

Praeterea numum unum mere Arabicum reperio inter numos Tychſenianos Tab. IV. n. 65. principi Georgiano tribuendum. Deſcribitur hoc modo a cl. editore. „Antica pars principis Turcae imaginem habet, cruribus, ut Turcis mos eſt, inſidentis. Capite coronam gerit, crucis figura inſignem, dextra manu ſceptrum incurvum aut arcum potius, laeva accipitrem tenet. In poſtica parte ſcriptura ſatis diſtincta eſt, ſed ſingularibus litterarum ductibus, quos Carmathicos dicunt. Videtur eſſe ملك الملوك كبن كرون بمكر حسام المسلمين„ Hactenus Tychſenius. Sed verba illa arabica nullam admittunt interpretationem. Legendus eſt titulus hoc modo:

ملك

22) Errat Deguignes, qui Georgium laſcha prole deſtitutum fuiſſe aſſerit, Hiſtoire des Huns T. II. P. II. pag. 59.

ملك الملوك *Rex Regum*
كيوركي بن ديمطري *Georgius fil. Demetrii,*
حسام المسيح *gladius Chriſti.*

Pertinetque numus ad regem Georgium IV, Demetrii filium, qui Saeculo XIV, diu poſt reges Georgiae antea laudatos, neſcio quo anno, regnavit, quam aetatem recentior quoque Arabicarum litterarum forma prodit. Memorabilis eſt in hoc numo titulus reguli Georgiae, Regis Regum, quem in antiquioribus, ſupra laudatis, ſibi arrogabat Georgiae oppreſſor, Perſarum Imperator. Cognomen Huſam el-Meſſih, h. e. gladii Chriſti, accepit Georgius, ut anteceſſores Ruſudan et Nara titulos oculi Chriſti et adiutoris Chriſti, ad imitationem Chalifarum et Imperatorum Muhammedanorum, qui huiusmodi titulos, ut Huſam-ed-din, gladii religionis, Ain-el-adel, oculi iuſtitiae, Veli-allah, amici Dei, al. in monumentis publicis ſibi tribuendos depoſcebant.

NVMVS ARABICO-MONGOLICVS.

CXV. B.

Numus argenteus arabico-mongolicus a principe quodam Chriſtiano ſignatus.

Pars adverſa numi exhibet titulum arabicum, addita crucis figura:

بسم الاب *In nomine Patris*
والابن وروح *et Filii et Spiritus*
القدس الله *ſancti, Dei*
* † واحد *unius.* † *

In margine aera forte expreſſa erat.

Averſa pars litteras continet ignotas, quas mongolicas eſſe didici e litteris cl. Ludovici Langlès, auctoris Alphabeti Tartarici

tarici Mantſchu, et Lexici et Grammatices eiusdem linguae.[23] Sed quid ſibi velint, et quomodo ſint legendae, me quidem omnino latet. Neque quo tempore et a quonam principe excuſus ſit numus, mihi conſtat. Alium numum mongolicum delineari curavit cl. Tychſenius in opere ſaepius laudato Tab. IV. n. 57, qui in adverſa arabice exhibet ſolitam formulam: „Non eſt Deus, niſi Deus. Muhammed eſt legatus Dei„ et inter lineas vulgari litterarum forma ضرب تفليس „cuſus Teflifi.„

NVMVS INCERTVS.

CXVI. B.

Numus aeneus arabico-graecus, incertus, ined.

In area adverſae partis legitur عمان الدين averſae الملك محمد „Rex Muhammed Emad-ed-din„ qui, ſitne forte Emad-ed-din Zengida, Sangarae et Halebi dominus, de quo ſupra pag. 86, an alius, dicere non auſim.

Margo utriusque partis litteras graecas exhibet, ex parte tamen detritas. In adverſa apparent MANOYH . . OM . . In averſa $\overline{\text{YIC}}$ $\overline{\text{TY}}$ I . . . quae forte nomen dant: Μανουηλ Κομ. υἱος του I . . . h. e. Manuel Comnenus filius Ioannis Comneni. Qui Graecorum Imperator eodem circiter tempore regnavit, quo Emad-ed-din, mortuus anno Chr. 1180.

23) Alphabet Tartare - Mantchou. Dictionaire Tartare - Mantchou en 4 volumes in 4to. Grammaire Tartare-Mantchou. Prodierunt duo priora opera Pariſiis, eruditione et elegantia praeclara; tertium hoc anno prodibit.

EXPLICATIO GEMMARVM,

quae ornamenti gratia huic libro inſertae ſunt e Muſeo Borgiano.

Pag. 32.

Gemma e Iaſpide viridi, cum titulo rhytmico:

يا عالم جغيي *O qui noſcis iniquitates meas,*
اغفر لي خطيي *condona mihi mea peccata.*

Carneola, his verbis inſcripta:

وركع ان قتل وزافر مسكين
وجشع بالاصوات الرحمن
فلا يسمع الا همسا

h. e. Male affectus vel neci datus inclinavit humiliter caput, et gemuit miſer, et cupide attendit ad voces clementiſſimi: ſed percepit tantum lenes et ſubmiſſos ſonus.

Gemma, hoc ſymbolo inſignita:

توكل *Confide Deo:*
يكفا *ſufficiet tibi.*

Pag. 40.

Carneola, nomine poſſeſſoris inſcripta:

بالله
سهلار بن عونة
يثق

hoc modo legendo: سهلار بن عونة يثق بالله „ Sahlar filius Aunae, Deo confidens. „

Carneola, nomen poſſeſſoris exhibens, eodem modo exaratum, quo in antecedente: سرور النادري يثق بالله „ Sarur Nadirenſis, confidens Deo. „

Car-

Carneola, cum nomine poſſeſſoris:

احمد بن *Ahmedes, filius*
يحيي بن ربيع *Iahiae f. Rabii.*

Pag. 64.

Cryſtallus, poſſeſſoris nomine inſignitus: هبة الله يثق بالله „Hebatallah h. e. Theodorus, confidens Deo.„

Carneola. Titulus eſt:

الله ثقة *Deus eſt fiducia*
ورفد *(mea) et auxilium.*

Carneola, cum nomine poſſeſſoris:

الله ولي *Deus eſt amicus*
عبد الرحمن *Abd-er-rahmani.*

Pag. 166.

Carneola. Titulus, ni fallor, legendus eſt hoc modo: لن بالاعزاز الا عز ولا بالله ان [rectius الا] المعز „Non eſt in viris potentibus niſi potentia, non eſt in Deo niſi dignitas et amor.„ h. e. Homines potentes eminent potentia, Deus vero amore.

Iaſpis viridis:

حسبي الله *Sufficit mihi Deus*
وكفا *et ſatis eſt.*

Cryſtallus, cum titulo ſequente:

عمر بن احمد بن نصير *Omar f. Ahmedis f. Naſiri*
يثق بالله و.... *qui Deo confidit, atque*
كل عليه *omnia ei commendat.*

INDEX NVMORVM,

qui in Muſeo Cufico Borgiano, Romae edito, minus recte explicati erant, et in hoc opere retractantur.

Numus Borgianus XX retractatur - - pag. 166
Numus XXXII - - - pag. 174
Numus XXXVII - - - pag. 118
Numus XXXIX - - - - pag. 90
Numus XL - - - - pag. 105
Numus XLI - - - - pag. 155
Numi XLVI ad LI pag. 71 ſeq. - - pag. 172
Numus LII - - - - pag. 75
Numus LXXXVII ad XC pag. 87 ſeq. - - pag. 169
Numus XCI - - - pag. 9 et 165
Numus XCII - - - - pag. 166
Numus XCVI - - - - pag. 166
Numus XCVIII - - - pag. 116 et 155

Praeterea quaedam in praefatione Muſei Borgiani aſſerta, in hoc opere corriguntur, ut Muſ. Cuf. pag. 13 h. l. pag. 8. Muſ. Cuf. pag. 15 h. l. pag. 160. Muſ. Cuf. pag. 17 adnot. 23. h. l. pag. 135.

CON-

CONSPECTVS
TOTIVS OPERIS.

Numi omnes, qui aſteriſco diſtinguuntur, quantum ſcio, ſunt inediti.

NVMI CHALIFARVM ET DYNASTIARVM IN ASIA.

I. NVMI CHALIFARVM.

I. Numi Chalifarum Ommiadarum.

*I. Validi Chalifae. a. 90 - - - pag. 3
*II. Solimani. Vaſeti a. 97 - - - 5
*III. Iezidi. Vaſeti a. 103 - - - 7
*IV. Eiusdem. Vaſeti a. 105 - - - ib.
*V. Heſchami. Vaſeti a. 111 - - - ib.
*VI. Eiusdem. Vaſeti a. 118 - - - ib.
*VII. Eiusdem. Vaſeti a. 124 - - - 8

II. Numi Chalifarum Abbaſidarum.

*VIII. Manzuri. Baſrae a. 142 vel 145 - - 9
*IX. Eiusdem. Bagdadi a. 153 - - - 11
*X. Mahdii. Muhammediae a. 166 - - - 12
*XI. Eiusdem. Ibid. a. 168 - - - 13
XII. Haruni Raſchidi. Abbaſiae poſt a. 170 - - 13
*XIII. Eiusdem. Ibid. a. 177. - - - 14
XIV. Eiusdem. Bagdadi a. 188 - - - 15
XV. Eiusdem. Ibid. a. 192 - - - ib.

*XVI. Amini, patre adhuc regnante excuſus. Muhammediae a. 181 16
*XVII. Mamuni, patre regnante excuſus. Balch a. 186 - 18
*XVIII. Eiusdem. In caſtris Schaſchenſibus a. 190 - 22
*XIX. Mamuni, Chorasanae et Transoxanae principis. Samarcandae a. 195 - - - 24

*XX. Eiusdem. Niſabur a. 196 - - - pag. 28
*XXI. Eiusdem. Samarcandae a. 198 - - - 29

XXII. Mamuni et Fadli. Muhammediae a. 201 - - 31
Excurſus I. Hiſtoria certaminis et belli inter Aminum et Mamunum, e Soiutii hiſtoria inedita, arab. et latine - 33
*XXIII. Mutavakkeli eiusque filii Abu-Abdalla. Bagdadi a. 237 41
*XXIV. Moſtaïni eiusque filii Abbaſi. Bagdadi a. 250 - 42
XXV. Radii eiusque filii Abu'l-Fadli. Bagdadi a. 327 - 43
*XXVI. Moctafii et principis ignoti. Cufae a. 291 - - 45
*XXVII. Moſtaſemi billah. poſt a. 640 - - - 46
*XXVIII. Numiſma ſub Moctadero excuſum, cum imag. - 48

II. NVMI DYNASTIARVM.

I. Soffaridarum in Choraſana.
*XXIX. Iacobi fil. Laiti. Niſaburae a. 260 - - 49
*XXX. Amrui fil. Laiti. Ibid. a. 284 - - - 50

II. Samanidarum in Transoxana et Choraſana.
*XXXI. Iſmaëlis fil. Ahmedis. Schaſch a. 283 - - 53
*XXXII. Eiusdem. Samarcandae a. 285 - - - 55
XXXIII. Eiusdem. Schaſch a. 286 - - - ib.
*XXXIV. Eiusdem. Ibid. a. 289 - - - ib.
XXXV. Eiusdem. Ibid. eod. - - - ib.
*XXXVI. Eiusdem. Enderabae a. 293 - - - 56
*XXXVII. Eiusdem. Samarcandae a. 293 - - 57
XXXVIII. Ahmedis fil. Iſmaëlis. Samarcandae a. 300 - ib.
*XXXIX. Eiusdem. Schaſch a. 301 - - - 58
XL. Naſri fil. Ahmedis. Samarcandae a. 306 - - ib.
*XLI. Eiusdem. Schaſchi a. 310 - - - 59
*XLII. Eiusdem. Samarcandae a. 310 - - - ib.
XLIII. Eiusdem. Schaſchi a. 312 - - - ib.
*XLIV. Eiusdem. Balch a. 315 - - - 60
XLV. Eiusdem. - - - - ib.
*XLVI. Eiusdem. Schaſchi a. 324 - - - 61

XLVII. Nuhi fil. Naſri. Balchi a. 338 - pag. 62
XLVIII. Eiusdem. Schaſchi. - - - 63
Excurſus II. De numis Samanidicis aliisque ad litus maris Baltici effoſſis, ope commercii Indici antiqui iſtuc provectis 65
III. Selgukidarum Romaniae.
*XLIX. Caichoſrui f. Kilig Arſlani. - - - 75
*L. Caicobadi f. Caichoſrui. Iconii a. 617 - - 76
LI. Eiusdem. Sivaſi a. 618 - - - 76
LII. Eiusdem, detritus. - - - - 78
LIII. Eiusdem. Sivaſi a. 622 - - - ib.
*LIV. Eiusdem. a. 623 - - - - 79
LV. Eiusdem. Iconii a. 625 - - - ib.
*LVI. Eiusdem. Ibid. a. 627 - - - 80
LVII. Eiusdem, detritus. - - - ib.
*LVIII. Caichoſrui II fil. Caicobadi. Iconii a. 642 - 81
*LIX. Filiorum Caichoſrui. Sivaſi poſt a. 650 - - 83
IV. Zengidarum vel Atabekorum Iraci.
*LX. Seif-ed-din Gazii. a. 575 - - - 87
*LXI. Az-ed-dini. Muſulae. - - - 88
*LXII. Eiusdem. Muſulae a. 586 - - - 89
*LXIII. Bedr-ed-dini Lulu. - - - 90
LXIV. Eiusdem. Muſulae a. 654 - - - ib.
V. Ortocidarum Maredinae.
LXV. Nagm-ed-din Alpii poſt a. 555 - - 94
LXVI. Cotb-ed-din Ilgazii. - - - 95
LXVII. Eiusdem. Miafarekinae a. 579 - - 97
LXVIII. Huſam-ed-din Buluc Arſlan, poſt a. 580 - 98
*LXIX. Naſer-ed-din Ortoc Arſlan. - - - 100
*LXX. Eiusdem. a. 599 - - - - ib.
*LXXI. Eiusdem. Maredinae a. 605 - - 101
*LXXII. Eiusdem. a. 615 - - - 102
VI. Ortocidarum Caifae et Amidae.
LXXIII. Nur-ed-dini Muhammedis, poſt a. 577 - 103

*LXXIV. Eiusdem, a. 580 - - - pag. 105
*LXXV. Cotb-ed-din Socman, a. 594 - - - 106
*LXXVI. Malec es-Saleh Naſer-ed-dini, ante a. 615 - ib.
LXXVII. Eiusdem. Amidae a. 617 - - - 108
LXXVIII. Malec al-Maſud Rocn-ed-dini. Amidae a. 621 - 110

LXXIX. Saladini filiorum, a. 597 - - - ib.
Excurſus III. De numis Arabicis imaginibus exornatis - 113

VII. Tatarorum vel Mogolorum.
*LXXX. Abaka Kani. Bagdadi, poſt a. 663 - - 120
*LXXXI. Abu-Saïdi. Caſchani. - - - 122
LXXXII. Eiusdem. - - - - 123
LXXXIII. Eiusdem. - - - - 124

NVMI CHALIFARVM ET DYNASTIARVM IN AFRICA.

I. NVMI MAVRITANICI.

I. Aglabitarum.
*LXXXIV. Zeiadat-allahi. a. 209 - - - 130
II. Almoravidarum.
*LXXXV. Abu-Becri f. Omari. Segelmeſſae a. 472 - 133
*LXXXVI. Ali f. Ioſephi. Almeriae a. 525 - - 135
*LXXXVII. Eiusdem. Fezae a. 535 - - - 136
III. Mohaditarum.
*LXXXVIII. Mahadii. - - - - 139
*LXXXIX. Abd-el-Mumeni. - - - 140
*XC. Raſchidi. - - - - - ib.
*XCI. Alius. - - - - - 141
IV. Scheriforum.
*XCII. Abu-Farezi. Marocci a. 1014 - - - ib.

II. NVMI AEGYPTIACI.

I. Achſchiditarum.
*XCIII. Achſchidi. Miſrae a. 332 - - - - 143

II. Chalifarum Fatemidarum.
*XCIV. Moëzzi. Manſuriae a. 359 - - - pag. 145
*XCV. Daheri. - - - - - 146
*XCVI. Moſtanſeri. Miſrae a. 439 - - - 147
*XCVII. Eiusdem. Miſrae a. 461 - - - 148
XCVIII. Manſuri. Miſrae a. 516 - - - ib.
*XCIX. Eiusdem. Alexandriae a. 530 - - - 149
*C. Daferi. Alexandriae a. 545 - - - 150
Excurſus IV. De numis vitreis Fatemidarum. - - 151
III. Aiubidarum. - - - - - 154

NVMI CHALIFARVM ET DYNASTIARVM IN ANDALVSIA.

I. Chalifarum Ommiadarum in Andaluſia.
*CI. Abd-er-rahmani Chalifae. Andaluſia a. 165 - - 159
II. Dynaſtiarum v. gubernatorum in Andaluſia.
*CII. Heſchami et Hagebi Iſmaël. - - - 161
*CIII. Heſchami et Hagebi Abd-al-malek. Andaluſia a. 393 - 163
*CIV. Mahadii et Emiri ignoti. - - - 164

NVMI CVFICI A CHRISTIANIS EXCVSI ET BILINGVES.

I. Numi Imperatorum Byzantinorum.
Leonis IV. Chazari. Numi CV ad CX, arabici et arabico-graeci, unus ineditus. - - - - 170
Conſtantini VI. Porphyrogennetae. N. CXI ined. - 172
II. Numi Regum Georgiae.
*CXII. Georgii Laſcha et Gelal-ed-dini. - - 174
*CXIII. Ruſudanae et Gelal-ed-dini. - - - 176
CXIV. Eorundem. - - - - 176
Narae Davidis et Gelal-ed-dini. - - - ibid.
III. Numus Arabico-Mongolicus. N. CXV. ined. - - 178

CONSPECTVS.

*CXVI. Numus incertus. - - - - pag. 179
Explicatio gemmarum operi insertarum. - - 180
Index numorum Musei Cufici, Romae editi, qui in hoc opere retractantur. - - - - - 182

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Ad numum XX. pag. 28. In margine exteriore adversae partis legitur nomen اسمعيل

Aera numi XXXI. pag. 53 est CCLXXXIII. Mendose exaratum est in titulo numi CCCLXXXIII, et deinde CCLXXXVI.

Pag. 62. in titulo numi XLVII legendum: *quarti* Samanidarum principis.

In titulo numi XCII aera legenda est MXIV. Et in inscriptione aversae partis eiusdem numi pag. 142. ab initio omissa est vox بن quare latine verti debet: Filius Imami principis fidelium Abu'l-Abbasi al-Mansuri filii rel.

Pag. 176 asseritur, Rusudanam mortuam esse a. Chr. 1247. Ita enim auctores historiae Armeniacae. Sed cum Rusudanae successor Gelal-eddinum adhuc laudat in numis, sequitur, vel Rusudanam ante annum 1231 obiisse, vel, quod mihi quidem magis placet, Nara Davidem, amita Rusudana adhuc vivente et regnante, regni haeredem a Persis fuisse constitutum, eoque nomine numos excudi curasse. Nara David diem supremum obiisse dicitur a. Chr. 1271.

In nonnullis numis, ut LXXXV. LXXXVI. LXXXVII. omissa est in titulo adnotatio, eos ineditos esse.

Leviora lectores facile emendabunt.

Explicit.

NVMI CVFICI.

TAB. I.

I.



II.



VIII.



X.



XVI.



XVII.



XVIII.



XIX.



XX.



XXI.



Adler delin. *F. N. Rolffsen e fil. Sculps.*

NVMI CVFICI.

TAB. II.

XXII.



XXIII.



XXIV



XXVI.



XXVII.



XXVIII.



XXIX.



XXX.



XXXI.



XXXVI.



Adler delin. *F. N. Rolfsen e fil. Sculps.*

NVMI CVFICI.

TAB. III.

XXXVIII.



XL.



XLIV.



XLVII.



XLVIII.



XLIX.



L.



LI.



LVIII.



LIX.



Adler delin. *F. N. Rolffsen et fil. Sculps.*


NVMI CVFICI.
TAB. IV.
LX.
Æ.
LXI.
Æ.
LXII.
Æ.
LXIII.
Æ.
LXIV.
Æ.
LXV.
Æ.
LXVI.
Æ.
LXIX.
Æ.
LXX
Æ
LXXI.
Æ.
Adler delin.
F. N. Rolffsen e fil. Sculps.



NVMI CVFICI. TAB. V.

LXXIII.



Æ.

LXXIV.



Æ.

LXXV.



Æ.

LXXVI.



Æ.

LXXVII.



Æ.

LXXVIII.



Æ.

LXXIX.



Æ.

LXXX.



Æ.

LXXXI.



Æ.

LXXXII.



Æ.

Adler delin. *F. N. Rolfsen e fil. Sculps.*

NVMI CVFICI.

TAB. VI.

LXXXIV.



LXXXV.



LXXXVI.



LXXXVII.



LXXXVIII.



XC.



LXXXIX.



XCII.



XCIII.



XCV.



XCIV.



XCVI.



XCIX.



C.



Adler delin.

F.N. Rolffsen et fil. Sculps.

NVMI CVFICI.

TAB. VII.



Adler delin.

F. N. Rolffsen e fil. Sculps.



615 Ade

Mb 252. 4°

del KM

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-11609/fragment/page=00000227



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-11609/fragment/page=00000228

ULB Halle 3/1
001 334 646

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:5-11609/fragment/page=00000229